





JOHANNIS OTTONIS
HELBIGII,
Thuringi,

Philosophi, & Medicinæ Doctoris

INTROITUS

In Veram atque Inauditam

PHYSICAM

Magis elucidatus,
Et
Duabus Epistolis augmentatus.

JOHANNIS OTTONI HELBIGII,

Thuringi,

Philosophi, & Medicinæ Doctoris

INTROITUS

In veram atque Inauditam

PHYSICAM,


EPISTOLA

Ex INDIA Orientali in EUROPAM

ad

Celeberrimam Sacri Romani Imperii Academiam Naturæ Curiosorum transmissa, apertus.

Nosce hominem Physicé, Physicam qui noscere veram
Vis: si Te potis es noscere, eamque vides



HEIDELBERGÆ,

Apud JOH. MICHAEL. RÜDIGER, 1680.

I. A. V. A.

SAl Aqua dat; tenet Aura, trahit Magneteque Tessa.
Ast Tessam, Auram & Aquam possidet unus Adam.
Possidet unus Adam sapiens, sed clanculum, aperte
Quod solet in medias mittere stultus aquas.

E. S. T.

Omne quod humanæ pretiosum reddere proli
Vult Summus, Tessæ Vis Aliena *tenet.*
Aura capit Tessam. Labris hic quære sacratis!
Et volet in buccas assa columba tuas.

Amice Lector,

MEum quondam ex India missum in Physicam veram Introitum aliquibus in locis explicatum magis hîc habes. Qui an Tuo sapiat palato, annon, parum refert. In Dei honorem, proximique utilitatem veritatem scripsi; nullaque proposui verba, quæ lucidissima & iterata mihi haud dictaverit experientia: Quamobrem aura popularis meam non agit mentem. Qui tamen hunc legis libellum, peto, sine ullo legas præjudicio; ne aliter faciens teipsum desideratis fructibus, me lætitiâ (ob allatum erranti auxilium) speratâ prives. Statim ac meis per Dei gratiam itineribus impositus fuerit finis, & qualiscunque animo curioso quies, communica-

tione veræ atque inauditæ Physicæ stabo promissis. Præsentibus interim utere, & Jesu Christi universalis veræ sapientiæ fontis vestigio insiste, si Philosophi nomen & omen habere cupis.

HELBIGIUS.

INTROITUS
In veram & inauditam
PHYSICAM.

Nihil prorſus eſt, Ampliſſimi Viri, quod naturalis ſcientiæ inſectatores à regia ſic deflectat via; aut jam jam ingreſſos eam majoribus retineat impedimentis, quam variæ variorum atque famoſorum virorum opiniones.

Horum quilibet ſuam ſemel conceptam ſententiam, licet ipſe falſitates poſtremo deprehendat, mordicitus defendere conatur: & nunquam mortalium unus rem adeo abjectam ac odioſam expoſuit mundo, quin ab aliquibus laude circumdata & adjuta fuerit. Quorum unam partem ignorantia inſontem facit; alteram excuſat amicitiæ novitatisque ſtudium. Hinc tantæ doctrinarum diverſitates,

fectæ, & tam multa Physices vacillantia principia.

Hic Elementorum quinque, ut Cœlum, Ignem, Aërem, Aquam & Terram agnovit. Ille prius, quatuor posterioribus amplexis, rejicit: Tertius jurat in Aërem, Aquam ac Terram: Non pauci quoque modernorum sub Aqua, sub Igne quiescunt. Fovetur Agens Patiensque creatum: Adest Maritus & Uxor; Innatum calidum cum humido radicali, oculatis (ut ferunt) manibus tangitur: Sulphur & Mercurius certæ sufficiunt turbæ; ac plurimi alligato Sale trigam efficiunt perfectam. Acidum etiam, ac Alcali, novissima novissimorum principia, Candidatos suos ita ad finem reposuere, ut auribus & oculis, per ebullitionis & acredinis vim, surdis & occœcatis ferme, nil sua præter sentire valeant.

Innumera parturiuntur volumina, quæ nulla non, si *Paracelsi*, *Helmontii*, *Verulamii*, *Cartesii*, aliorumque paucorum fœtus educas choro, chorda oberrant eadem.

Tota

Tota profecto librorum varietas, qua Physica exultat, consideratius inspecta, ubivis ejusdem rei repetitiones infinitas, tractandi modis diversas, & inventione præoccupatas insinuat: omnia primo intuitu numerosa, examine facto, pauca reperiuntur.

Libri innumeris augentur commentariis, rediguntur in compendia; quibus, ac explicationibus, sua sunt judicia, suæ laudes; peregrinæ traduntur linguæ: Certa pro Cathedris Librorum loca ventilata publice subduntur typis; & mille alios scribendi tramites (quos numerare tædet) scripturientibus inhiantes lucro Bibliopolæ aperiunt. Ita, ut nil aliud ex tali controversiarum circulatione, quam Cimmeriæ tenebræ, ac Philosophiæ corruptiones generetur.

Hæc relata mihi Physicæ carceres timide ineunti imponebant calcar, ut alacriores moverem pedes, si citior certiorque cæteris abscondito Naturæ brabeo donari cuperem.

Chimia incepi; multum per Medicam

adjutus ſum praxin; & firmiter me benedictam calcare viam credidi.

Sed Vanitas Vanitatum! petebam lucem à tenebris, à mundo ſapientiam. Capite mirabar elato, cum extra omnis dubitationis aleam vivere putans, inopinatò ſpe cuncta exciderem.

Nam quamvis meum Agens & Patiens, meus Ignis & Aqua, Sulphur & Mercurius, cum ſuis mediatoribus Aëre & Sale, auditori aures demulcebant; Meipſum tamẽ penitus illaqueatum ſtrangulabant perdite.

Inutile erat creaturas huc Rhetorica velle duci abnegantes Logicæ viribus trahere. Res principiis meis fortiores ſuam ad occultas qualitates relegationem quaſi deridebant. Experientia ultimo cogitationum conatui reſiſtebat, doctrinam debilitabat, impugnabat, expugnabat. Jacebat fictum, proh! victum: & Logica cum Rhetorica territæ una inexcuſabilem capiebant fugam.

Hic ſolus & Irus eram: Orbatus propriis injuſtas aliorum reſpuebam copias. Nullo mundi loco auxilium advertebam.

Quid,

Quid, quæso, rei desperatæ consilii? Cœlo humillimis supplicabam precibus: Labor nocturnus atque diurnus, cum judicii assiduitate, cor inquietum inquiete comitabatur. Mundana despiciebam: Pectus purgabam Philautia; & nihil magis, quam Deum super omnia, ac proximum meipsum sicuti diligere, in ardentibus habebam votis.

Certior nunc factus, æternum & Universale Agens, Omnipotentem Dei Spiritum, hujusmodi efflagitare corda, In quibus habitet, & ea tenebris eruta æterno Veritatis Lumine irradiet.

Coram Deo in faciem procumbens suspiria fundebam: Debilitatem, nuditatem & ignorantiam lachrymis faciebam notas; totiesque ex intimis pectoris penetralibus petebam, donec ab infinita sua misericordia exaudirer.

Et Æterno Æterni Spiritus lumine illuminabar; ut in claro velut speculo verum Naturæ principium, medium & finem perspicerem.

Divina æterni & universalis Agentis Vir-

tus aperta erat. Primam, simplicem & creatam omnium rerum materiam, aquam viscosam, ovali forma continuam, in loco pendentem, & Spiritu Dei involutam videbam.

Massa, quanta quanta erat, erat immobilis, frigida, tenebrosa, & vacua. Verum divino FIAT verbo increati Agentis effluxus infundebatur, quo Hyle vivebat, & movebatur.

Primo purissimum suum ens, (animam æternam, à tempore post, vere nominare possumus) summum ovalis globi bonum, & crassissimum vel fæces, secedebant: quorum alterum circumdabat Chaos, & reliquæ in enixu materiæ (firmamento nondum confecto) pro luce inserviebat.

Divinam esse claritatem, ob pulcherrimæ lucis perfectionem, rebar, & ineffabilem beatorum gloriam, admonente hoc, læta mente volvebam.

Infera pars econtra, & Hyles damnatæ fæces, sic abominabiles, caliginosæ, & horrendæ, ut nec celebrata lux penetrare, nec oculi sine terrore incusso officium

ficium obſervare poſſent.

His ſeparatis dividebatur cœterum in tria: In craſſum ſcilicet, medium & ſubtile. Craſſum deorſum præcipitabat, ſubtile avolabat ſurſum, medium & maximum ſua manebat ſede.

Subtili & ſuperiori Aquæ amplius domicilium, & in altioribus habitatio dicabatur. Craſſa ſubſtantia adhuc in fundo mediis gravata Aquis quieſcebat. Sed ulterior motus & ſeparatio, talem Aquæ mediæ cauſabatur defluxionem, ut craſſa conſpicua reddita in medio mediæ aquæ conſiſteret.

Quo vix facto, innumerabiles herbarum, fruticum & arborum formæ ſuam debitam magnitudinem, vires, flores, fructus & ſemina mox moxque acquirentes egrediebantur.

Ex ſuperioris Aquæ puriſſimo lumina duo majora & multa minorum fiebant, quæ incomparate radiantes inferiorem & craſſam aquam, mirum! efficiebant ſiccam.

Medium animalia dabat varia cœlo ſudo locisque viridibus læta: Maximæ nec non quadrupedes animalium augebant numerum.

Totus denique (multum includam pauco) mundus, tota aquarum triga, viribus & vita abundabat.

Peculiare tandem animal, Homo, Protoplaſta noſter, ex optimo trium Aquarum ſucco, carens motione tamen, adſtitit: cujus capiti per nares Summus Opifex aliquid ſplendentis & æternæ illius, à tempore poſt, Aquæ (quam animam Aquarum vocavi) ex ſupremo inſpiravit.

Sic Homo, creaturarum nobiliſſima, ex optima ſuperiorum & inferiorum pinguedine formatus, ſic fuit, ſic vitam incepit.

Quare etiam gloriæ & potentiæ plenus inter ſuperius & inferius, ut ab utroque nutriatur & ſerviatur, ſumebat locum.

Ultimo ſpiritus Dei vim attractivam (*Magnetem univerſalem*) obſcuræ & humidæ cuidam ſpeluncæ ſuperioris, pro clauſula, infigebat.

Hujus

Hujus virtute ex ſuperiore & inferiore corpus primæ & inſeparatæ materiæ, quoad totum, ſimile generabatur: partim ad majorem hominis gloriam & commoditatem, partim ad perennem creationis finitæ memoriam.

Intuebar, adibam, & de illo particulam ſurripiebam, avidus probabam, & ecce! ipſæ eædem operationes, cogente ſeparationis motu, revertebantur.

Iterum Aqua Lucis & Tenebrarum; Aqua ſuperior, Media & inferior, in quibus, cum à Tenebris illas purgaſſem, Lucem, ob ſubtilitatem ſummam impoſſibiliter rurſus adjungibilem, neglexiſſem, & tres ſeparatas in unam ſiccam redegiſſem, novum, regeneratum & clarificatum mundum uſurpabam oculis; certus, grandem illam potentiæ gloriæque benedictionem hominibus à Deo donatam maxime hac ex ſpelunca demonſtrabilem eſſe.

Locum & locatum mirabar, captus, ſtultorum hic proſtare oculis, quod prudentes ubique quærunt.

De Harpocratico cogitabam ſilentio, timore

timore anxius, ne mundo myſterium aperiens à Spiritu Dei rationem reddere impellerer.

Veruntamen, quia me haud latet, proborum & fidelium plurimos ſupereſſe: & ego libenter iſtis de meo talento, juxta Omnipotentis voluntatem, mutuo vellem dare: hac ad Vos, Nobiliſſimi Viri, epiſtola omnibus ſimul devote orantibus, & indeſinenter laborantibus verum ſimplex & indubium naturæ principium, nullitatemque præterea hactenus creditorum Elementorum, principiorum, rerumque cauſarum brevi patefacere propoſui; minime gentium ambigens, quin vera hæc novitas & nova veritas Curioſæ Veſtræ Academiæ arriſura ſit.

Si tamen præter opinionem concepta ſpe fruſtratus hoſtiles invenio mentes, quæ adoleſchiam opponendo incepti noſtri remoræ audire geſtiunt, curo nihil.

In vera, per divinam miſericordiam ſemel agnita, Veritate conſtabo, & adverſus totum Phyſicorum mundum, dum ſpiritus hos reget artus, indefeſſe & luculenter defendam.

Agite

Agite modo, Amici, ut non ſolum verbis, odioſa autorum pleriſque lectoribus obſcurorum allegatione, atque diſcurſu ſterili, ſed rebus gravitate præſentis doctrinæ dignis, oppugner.

Tunc feram acceptum, omnemque movebo lapidem in vera & inaudita mea Phyſica, tam theorica, quam practica, proxime inquiſitoribus ſatisfaciendi.

Dei idcirco gratia dico univerſum ex unico, ſimplici, atque creato elemento, nempe viſcoſa aqua, deſcendere, quod motu divino ſeparatum formarum exhibuit myriades.

Ex quibus primæ, omnium poſteriorum principia (ſubtiliſſimum & craſſiſſimũ, Lucem & tenebras, in alium lubens tractatum ſuſpendo) ſubtile, medium & craſſum, communiter Aër, Aqua, & Terra.

Erat ita prima materia non, ut ignorantes proferunt, confuſum Chaos, ſed aqua viſcoſa, quæ per divinum motum in ſubtilem, mediam & craſſam ſeparabatur, ſubtilis & craſſa ſeorſim locabantur, & media aqua, pars maxima, ſinebatur in fluiditate.

Quan-

Quanquam nulla trium amplius viſcoſa, omnes tamen tales, ut media cum ſubtili craſſæ per ordinatum naturæ motum adjuncta ſemper in rerum productione primum & unicum (aquam viſcoſam) referant rurſus elementum.

Aqua ſicca (Terra) Magnetis inſtar univerſaliſſimi eſt, qui uſque & uſque non ſolum fluidam, (aquam) ſed & volatilem (aërem) attrahit, continet, & continuo motu, qui omnibus tribus ineſt, varias producit creaturas.

In quo motu, vel actu, Aër cum Aqua radicaliter rejungitur; & per aëris ſubtilitatem tantum Terræ in craſſum tenaciſſimumque liquorem ſolvitur, quantum ſufficit ad generationem.

Terra in productione dat corpus, Aër animam, & Aqua ſpiritum; qui deinde ulterius augmentnm ac nutrimentum procurat.

Sic omnia ex tribus procedunt aquis, quæ conjunctæ unam, primam, radicalem, & fructiferam exhibent Aquam.

In tali motu & productione vero, iterum illud, quod de hac trium Aquarum mate-

ria:

ia (aqua viscosa) ad novum & imaginatum Naturæ corpus non requiritur, separatur: Subtile superfluum fit subtilior Aër, medium aqua, & crassum in Terram crassiorem revertit. Ita, ut nunquam, aut Aër, aut Aqua, aut Terra, à tam multis generationibus minuatur.

Hoc etenim omisso, naturaliter Terram in Aquam, Aquam in Aërem, Aërem per attrahentem Terram in Aquam, & Aquam in Terram recedere: Orthophysicis in propatulo est, omnia producta in suo fine rursus Terra, Aqua & Aër fieri, atque minimam perire partem non posse.

Ad conservationem totius rerum universitatis Sapientissima Majestas Natura utitur circulante; quæ incipit, ubi desinit, quæ crassum subtilisat, & subtile incrassat.

Nullum ad hunc motum necesse habet ignem ardentem; non Angelos, secundum aliquorum somnia. Verum Spiritus suus Increatus, Æternus & Omnipotens est Universale Agens, Calidum infusum, Ignis, Lumen & Virtus; atque toties citatæ

Aquæ

Aquæ non aliter, quam pati & ire, quo ducuntur, possunt.

Sunt Aër & Terra, respectu mediæ Aquæ, sicut in arbore ramus: Elementi partes, non elementa. (*Quia aqua principialis, seu elementata, tenuit utplurimum aquæ elementaris, vel viscosæ, formam; nisi quod tenuior sit & limpidior. Igitur quasi magis nomen elementi meretur, quam Aër & Terra*) & facile per se, atque per artem, Terra & Aër in Aquam fluidam transmutantur.

Quamobrem Ille per Ignem Philosophus ob nostri magnetis ignorantiam erravit multum, quando Aëris in Aquam reductionem negavit. Quæ non quidem fit per aëris violentam condensationem, sive compressionem; verum virtute Magnetis universalissimi & universalis, Terrâ & nostrâ TESSA, placido amplexu.

Falsa omnino est vulgaris de Elementis doctrina, aërem, Terramque, entia natura prorsus inter se diversa & contraria fingens. Fabula est decantata Elementorum pugna. Errant, qui calidum innatum, universale

versale Agens naturale, & somnia his similia, literis consignavere. Cœcutiunt ignem profitentes Elementum.

Nam corrumpit, destruit, ac mortificat. Elemento autem in rei productione placidum, patiens, & ad generandum aptum, non destruens, non Tyrannidem exercens, non mortificans esse, convenit.

Chimici quidem per vocabulũ ignis non Ignem flammantem & destruentem, at, nescio quod imaginatum, Balsamum, calidum innatum, Sulphur, Centrum, & Acidum universaliter agens, calefaciens, nutriens, digerens, & in essentias rerum intimas penetrans, subintelligunt. Quem ignem utroque intellectu sumtum nego.

Posterior, quem tantis ornant nominibus, & propter excellentem virtutem Elementũ exclamant, non Elementum, materia quædam prima, vel ignis est; sed SAL NATVRÆ, primum Aquarum productum, materia secunda.

Atque prior ignis Elementi nomen amittit, ob corrosivam & destruentem aciditatem; quæ Elemento, quod dulce, patiens,

tiens, & ad generandum aptum esse debet, minime appropriat.

Hujus essentiam primo, deinceps alterum, in principiorum, ut vocantur, explicatione tractabimus.

Definimus itaque Ignem, quod sit motus Salis Naturæ præternaturalis, qui excitatur, sive per vehementem rerũ motionem externam, sive motu fermentationis interno, quibus illæ incalescunt, & sua Aquæ pars nobilior & maturior (SAL NATVRÆ) in furorem sic agitur, ut motum inconsuetum, & nimiam exaltationem, pati nesciens, violente, & interdum fulguris instar, erumpat.

Ignem hic ex corporibus reddi duobus, inquam, modis; motione externa, & motu interno vehemente.

Externæ motionis exempla sunt, lapis cum ferro, aut lapides cum lapidibus collisi; apud Europæos, nostris Indianis durissimæ crassæque arundines, nomine Bambu, fortiter fricatæ, scintillas, maximæ Salis copiæ causa, edunt.

Tornatoribus consuetum ligno quercus duro

duro & pingui aliud lignum tornatione violentâ comburere, & hinc & illinc nigram carbonis faciem, gratia venustatis, inducere.

Ex crinibus sudore inveterato pinguibus sæpissime in Illustri ad PORTAM Gymnasio, cum adolescens adhuc literis ibi incumberem, pectine angusto, forti celerique manu per crines tracto, scintillas ejicere vidi: quod primum professoribus aliquot in Physica minus eruditis miraculum videbatur.

Præternaturalis per fermentationem motus exempla, cum quotidie in fœno, frumento, herbis, aliisque rebus accidant, triste quoddam nobis præterito anno hoc ex maris portu exhibitum.

Prætoria navis ab Insula Sumatra piper vehens reversa, ab aromatis seipsum per fermentationem accendentis flamma penitus peribat.

Materia ignis mota est SAL NATVRÆ, relata præternaturalitate nimium exaltatum, degeneratum, acidum, & corrosivum factum.

Id quod fieri, ordinariis Naturæ gradibus neglectis, vel impeditis, semper assuetum habet.

Quod sit Sal, demonstrat tam sua natura & nutrimentum, quam resolutio. Nutritur pinguibus & oleosis: pinguia & oleosa sunt salina, & facili negotio olei destillati cujusvis tota substantia in Sal mutari potest.

In flammarum quoque congelatione & resolutione nil, quam Sal, & Terra, provenit,

Corroditas & aciditas doctis patet late. Corporibus nimirum propinque admotus salinam & centralem eorum virrutem, tanquam venenum, infectat, furere facit, & ad totius continui ruinam adigit.

Ast in illius usu, debito modo, & loci intervallo observatis, utilitatis plurimum apportat homini.

Quem Deus, Maximus Opifex, ut parvum, & sibi similem, mundo præfecit, ignemque, motum præternaturalem, pro auxilio humani operis & artis

conceſſit. Quia divini atque ſupernaturalis Agentis uſu caret, & ipſi imperare nequit.

Excitamus per ignem, movemus, & aquas reductas ad nobiliorem producimus gradum. Naturalem & homogeneam præſtare rerum ſolutionem haud valet.

Ideoque veram etiam de Natura ſcientiam per illum non apprehendimus, quicquid Chemicorum glorietur caterva.

Experientiam dat, ſed obſcuram, confuſam, & falſis repletam opinionibus; niſi Spiritu Dei illuminati Naturæ prius principium, medium, & finem, ac præſertim Magnetem Mundi Aërei, atque ſpeluncæ noſtræ, unicum, vere agnoverimus.

Quo adepto, Pyrotechnia maximum Phyſicæ affert adjumentum, noſque laborum delectatione confirmat.

Mirum non igitur, quod Chemici rerum principia per ignem quærentes, regia tam longe abſcedant via.

Non enim ſimplicia, ſed alterata vio-

lento igne, & diverſis operationibus alienam prorſus formam referentia, acquirunt.

In ſuo regno Animali, & Vegetabili, oleoſam atque flammabilem ſubſtantiam Sulphur, aquoſam & ſpirituoſam Mercurium, & fæces, ſeu caput mortuum, Sal, nominant.

In mineralibus Mercurius currens, & ardens Sulphur, principia ſunt; atque ſub his omnibus Ignem, Aquam, Aërem, & Terram volunt intelligere.

Sed demonſtrabimus, clarius, longiuſque hanc examinando doctrinam, toto miſeros deſtillatores aberrare cœlo.

Sulphur, aut Mercurius, principia ſunt fictitia, & in reſolutione nil aliud, quam Sal & Aqua: ſive Minerale, ſive Animale, ſive Vegetabile regnum eorum perſcrutari velim.

Priorum etenim aqua, ſpiritus, & oleum, cum terra, ciniſque tandem, aſſociante Sale, in aquam primigeniam vertuntur.

Sic etiam in metallis & mineralibus; quo-

quorum tota ſubſtantia Sal & Aqua fit per noſtram artem, & nullus univerſali, ac per Aërem ſolutione, inde exit Mercurius, aut Sulphur: qui tamen neceſſario, ſi ut principia ineſſent, provenire deberent.

Mercurium vero ex animalibus, Mineralibus, & Metallis à me productum, ſive tunc temporis ex animalis, mineralis, Metalli, & additorum partibus noviter generatum, ſive ut alienum corporibus inſidens adhærenſque, deprehendi.

Prioris effectum plurimum dedit putrefactio, Tartarus, & Vitis; poſteriorem ignis vehementia.

At ex ſolo Tartaro, aliiſque Salibus, currens fieri Mercurius autopſia docuit: & quod mineralibus corporibus adhæret peregrinum, ſeparatur igne facilime.

Ex argilla, & terris pinguibus Mineralia & Metalla diverſimode producere novimus: quæ tamen antea actualiter non infuere, ſed potentialiter, & ex conjunctione terræ pinguis cum additamento habuimus.

Cum Hallæ Saxonum apud Nobiliſſimum atque Excellentiſſimum Virum Dn. D. *Jo-*

D. *Johannem Siboldum* Sereniſſimi AUGUSTI Archiepiſcopi Magdeburgenſis, Saxoniæque Ducis Archiatrum, & Conſiliarium, Amicum meum fraternum, anno 1675. eſſem, præſente illo, mineram Vitrioli & Sulphuris, ni oblivione fallor, Haſſiacam, Veſtro Hermeti *Balduino* falſe Electrum Paracelſi immaturum, igni calcinatorio curioſus impoſui: qua aliquot horis calcinata, pulverem indidi vitro, & aceto deſtillato ſuperfuſo, digeſtionis calori admovi.

Apparebant tunc poſt aliquot dies innumera Mercurii currentis granula, quæ tam in ſuperficie Menſtrui, quam mineralis, vitro jam calido, ludebant: Refrigerato autem vaſe, petebant fundum, & aſpectui noſtro ſe ſubtrahebant.

Hinc Mercurium mineræ actualiter pro principio non infuiſſe, ſatis conſtat. Volatiliſſimus enim avolaſſet, cum corpus tanto calcinationis igne premeretur.

Ergo, aut ex minera ſola per novam prodiit generationem, aut ex ſalis Aceti ac mineræ conjunctione compoſitus fuit.

Rationes

Rationes atque causas huic non adjungam; quod utrumque, sive ex sola minera, sive additione generatum velis, principii mercurialis nullitatem probet.

Extrahat Chemista menstruo vero, sine violento igne, putrefactione, calcinatione, reverberatione, & digestione Mercurium currentem animalibus, metallis, vel aliis, quam propriis Mercurii mineris, & erit mihi magnus Apollo. Sed Naturæ & artifici factu impossibile est.

Ipse Aurum & argentum per aërem magnetis nostri dulcem toties, absque igne ac corrosivo, placide solvi: ita, ut à nullo artificum, nisi artis Philosophicæ perito (& hoc magno laboris temporisque sumtu, per novam regenerationem) in metalla potuerint redigi.

At vero, præter Sal & aquam, corpora soluta putrefactaque nil dederunt. Nec exinde aliquid, quod peculiari Sulphuris nomine, cum aliis Viris, insignare potuissem, ob oculos venit.

Licet etenim tincturam incombustibilem, & ex reliquis metallis & mineralibus tin-

 ctam,

ctam, oleoſam, interdum flammabilem eſſentiam, ſeparaverim: Tamen ulteriori motæ labore omnes pulcherrimam Salis veſtem induerunt.

Deviant ideo, & falſum pro vero inculcant cuncti, qui Mercurium & Sulphur omnium in univerſo corporum centris pro anima & ſpiritu radicaliter & auctalier inhærere autumant.

Ipſa mineralia, ſi ſomniant de vulgaribus: Si corporum olea & ſpiritus pro Mercurio & Sulphure malunt, eſſe Salem experientia reperi.

Collabuntur hodie cauſtica Chemicorum fundamenta, ultra mille annos incerta imaginatione æſtimata. Pereunt, juſtaque pereunt vindicta, quoniam innumerum hominum numerum fallaciis ſuis conclamatis perdiderunt, & à recta naturæ inveſtigatione, primo facilia intuitu, detraxerunt.

Multorum opes deflagravit Sulphur. Multos Mercurius currens domo, patriâ abire, atque alio miſere currere fecit.

Reſtat nunc tertii, nempe Salis, inquiſitio.

ſitio. Hujus gloriam, vim & virtutem imminuo minime; ſed ut veriſſimum principiorum (Aëris, Aquæ, Terræ) ex totâ circumferentia generatum centrum latiſſimis, dum SPIRABO, extollam encomiis. In hoc eſt, quod quærunt ſapientes. Hic Sal, nobiliſſimus Orthophyſicorum adjutor, eſt in omnibus omne. Hic aperit atque recludit. Hic lucet in aërem, illuſtrat Terram & Aquam radio ſumis proviribus æquo. Gnatorum eſt Naturæ primus & ultimus. O benedicta eſſentia rerum! O mundana ſalus hominum celebrata Sophorum ſcriptis ſat nunquam!

Hic Chemicorum quæſitus Mercurius & Sulphur erit, ſubſtantia puriſſima, penetrans, illuſtrans, & conſtituens. Non tamen Sal culinare, marinum, calcinatum, volatiliſatum, vel aliud ignis ope productum, hic pronuncio.

Verum nobiliſſimum illud uniuscujuſque rei maturitatis & excellentiæ granum, ex ſubtilitate principiorum pro anima inferioribus inditum SALIS NATURÆ, κατ' ἐξωχὴν, nomine notamus.

Hic Sal primigenius non est corrosivus, non acris, in quibusdam vix sensibiliter adstringens, summe penetrans, illustrans, aperiens, dissolvens, & quando processum motumve naturalem insequeris, digerens, coagulans, maturans.

Non est ens universale agens atque æternum :(quod Voluntatem Dei, & supernaturale dixi) sed pars cujusvis rei ex aqueæ triadis centro acquisita, per continuum motum sic nobilitata & maturata, ut merito animæ, essentiæ, atque SALIS NATURÆ titulum mereatur.

Insidet toti universo : Ast in uno loco majore, quam in altero, quantitate & qualitate, unius quoque accessus proclivior, quam alterius.

In tribus Naturæ regnis, quæ (rejecta literatorum veteri mancaque divisione) tria hæc, ut inferius, (hominum pedibus subjacens) Medium, (animale) & superius, (quod supra nos est, & in quo degimus) exponimus, inferiori regno sufficienter, immaturis vero, crassis, & impuris rebus adeo involutum præest, ut

si aliud

si aliud regnum pro hujus tædiosi impedimenti remotione non adjuvet, purissimam illius essentiam centum annis, vel nunquam, eruere & demonstrare possis.

Regnum superius abundanter nobilissimo scatet; ob loci tamen distantiam & incommiditatem Altissimus Magnetem donavit, mediante quo, Adepti, humilesque divinorũ operum indagatores ex sideribus, superisque cunctis Salis & essentiæ aliquid attrahere; ac in usum vertere valent.

Regnum medium, ut excellentissimum, ita maximam SALIS NATURÆ partem tam ex seipso, quam ex superiore & inferiore deprомptam possidet.

Vellem certe jam totum Naturæ mysterium unico aperire verbo, nisi tempus & locus frenum nobis adhiberent. Digito tamen os comprimens paucis præcipuam, proximam, & specificam SALIS NATURÆ sedem, quoad licet, penna indicabo.

Hæc est in regno medio; nomino illam SPELUNCAM, DOMUM TRISTITIÆ & LÆTITIÆ. Incola situs

ſuus MAGNES, Chaos, ac Hyle audit, tantaque SALIS NATURÆ fertilitate, quanta nullum in toto mundo corpus, gaudet. ASpicitur à plurimis, ob viſcidam autem ſuam veſtem, coloriſque plumbei fœditatem, vileſcit, ac effoſſus cum nauſea interdum rejicitur. Emitur labore, pecunia nullibi. Semel acquiſitus perpetuo ſufficit.

Sal, Naturæ primogenitus, Magnetis cuſtodiæ ſubductus, purificatus, & alii ſubjecto applicatus, per motus calorem excitatur, & fit iterum agens, videlicet transmutatæ aquæ (e. g. metalla, mineralia, quæ aqua motu transformata ſunt, ſolvit) partem ignobiliorem, crudam, & craſſam, clauſtrum Salis ſibi ſimilis, aperit, ingreditur atque juvat, ut granum illud eſſentiæ perfectum majorem in reliquum habeat autoritatem.

V. g. Aurum operante Sale hoc, ut Menſtruo, radicaliter ſolutum, per hujus & propriæ eſſentiæ ſuæ (quæ idem Sal eſt) virtutem, motu caloris externi excitatam, nobilitatur, tantoque exaltatur

gradu,

gradu, ut, communi in terra cruda maturatione ſuperata, ſemen edat, quod minoribus & minus maturis metallis inſertum, ea illuminatione ad auri vulgaris excellentiam provehit.

Ex hoc Sale univerſale eſt Menſtruum, aqua Naturæ centraliter coagulata, Vitriolum Microcoſmi, Mercurius Philoſophorum, quem tam multa hominum millia propter fœcunditatem anxie quæſiverunt. Atqui paucis innotuit hactenus.

Ex hoc eſt ager, cui aurum pro ſemine ſervit. Ex hoc eſt Terra, ſuum quæ ſemen aperit, ſolvit, putrefacit, & ad fructus ejiciendos aptum reddit.

Nota eſt mihi indigno per Tuam, Miſericors Deus & Pater, immenſam gratiam materia: Eſt notus ſua, Sal, eſſentia. Notus duplicatus ager. Conſpexi nudum impuris ſine veſtibus album NATURÆ SALEM. Vidi Agrum cum ſemine, fructus atque vidi virtute graves. Aſt alius, non noſtra opera.

Ipſe etenim quamquam, miſerente Deo, dives SALIS & CLAVIS NATURÆ poſſeſſor, excludor ab eſu tamen aureorum Heſperidum pomorum.

In præparatione Theſauri hujus primum ab utili inutile abjicitur, utile purificatur, & in tria ſeparatur. Nempe major pars avolat, & ſuperiora petit, media fluit, & minor manet inferius, quaſi mortua. Donec reſiduo ſordium abſtracto, ſuperius per medium inferius exaltet, unita tria additum aurum maturent, ac infinita afficiant fertilitate.

Et hic eſt, Viri Nobiliſſimi, ille Sal, quem, ut primum productum, ſeu, ſecundum conſuetam loquelam, proximum principium, breviter ratione, & experientia expoſui foro.

Videbimus tandem paucis, quo melius & intimius Naturam, novamque noſtram Phyſicam intelligatis, quid de Acido, & Alchali, rebus illis toti eruditorem choro ſua ebullitione & acrimonia moleſtis, judicandum ſit.

Experimento autem ordiar ſequenti: Intel-

Intellecto & accepto, per Dei gratiam, NATURÆ SALE, miris illum exercui modis: non ſolum ut illa, de quibus Veteres memorarunt, acquirerem; ſed ut & nova, ac propter plurimorum deſidiam hactenus inaudita, mihi nota fierent.

Debitos Naturæ gradus in illo varie inverſi, ſimplicem, & compoſitum cum aliis, tractavi: uſque dum in operatione quadam ex ſimplici NATURÆ SALE acidam primo tantum, deinceps igneam, corroſivam, & deſtruentem accepi materiam.

Id quod valde miratus ulteriore inquiſivi labore, & latens quoque Alchali maſſæ annexum, obviam venit. His duobus ſeparatis, & ſeparatim purificatis, (puriſſimi enim SALIS NATVRÆ pauculum per recitatam degenerationem in fæces abiverat terreas) rejunxi ambo, &, particula prioris ponderis amiſſa, nobiliorem anteriore apprehendi Salem.

Quod, & alia huic ſimilia experimenta, me docuerunt Acidum, & Alchali non

principia, sed degenerata Naturæ entia existere: & SAL NATURÆ in suis motus gradibus impeditum, aut nimium acceleratum, magis atque minus degenerare, & in duo præternaturalia, Alchali scilicet, & Acidum, dividi. Quæ quidem purificata, nostraque arte rejuncta, unum ac regeneratum corpus referunt.

Quod autem hujus ipsius experientiæ *Tachenius*, alias sat curiosus, fuit inscius, ex obscuritate nostri Magnetis, & Salis Naturæ, processit.

Nam nullum est in tota orbis aquarum universitate corpus, excepto Magnete Speluncæ nostræ, ex quo homo sine igne verum, simplicem, & immutatum NATURÆ SALEM, absque præternaturali in Acidum & Alchali separatione, depromere potest.

Reliqua, quotquot nascuntur, corpora id missum facere negant, nisi vehementia Ignis, sub Acidi & Alchali habitu latentem, ejicere coguntur.

SAL NATURÆ per ataxim divisum in crassum & subtile transit: in posteriore aci-

ræ acidum, in priori alchali habitat. Ambo misera & fracta, nulloque sananda medio, quam radicali rejunctione.

Unde uno alteri admixto, tantus adest cöeundi appetitus, ut furentes veluti crudas suas cortices penetrent, seque mutuo amplectantur. In quo actu cortex aquea adhuc cruda, interdum ob nimium motum & compressionem ebullire, & formam induere aliam, necesse habet. Sicque Acidum & Alchali, entia degenerata, & ab ordinariis Naturæ viis aberrata, in viam regiam, & melius corpus transeunt.

Acidi præternaturalitatem hoc juxta aperiit experimentum; Solvi Argentum NATURÆ SALE &, calori in vitro bene clauso commendavi, credens, longe perfectius, nobilius, & regeneratum inde proditurum esse metallum; sed, re non bene observata, in minerale quoddam acidum, sulphureum, & nunquam magis antea à me visum, SAL NATURÆ cum Argento degeneravit.

Ex Ferro Magnetem, ex plumbo mi-

neram

mineram antimonio non absimilem, ex his, & aliis, MERCURIUM currentem, & Vitriolum, quod vulgare est, produxi.

Omnia Mineralia, Metalla inferiora, etiam Plumbum, cum succis mineralibus, vegetabilia quoque multa, acida deprehendi, & omnia illa immatura, vel degenerata.

Praxis medica acidos omnes morbos, omnia vulnera acida, semper mihi aliisque exhibuit; quibus ex particularibus medicamentis alchalia fixata & volatilia, tanquam unicam & veram Panacæam, pro auxilio transmitto.

Chirurgis etiam, quorum plerique Naturæ portas vix adspexerunt, obscura ratione, per experientiam lucet, vulnera acida pinguibus, oleosis & gummosis tractare, quando feliciter illis mederi, saccumque nummis implere desiderant.

Inexcusabilem medentium errorem obiter hic perstringere mens urget; medentium, Viri, qui sirupos, herbas crudas longo temporis spacio exsiccatas, illarum decocta, pulveres, infusiones formulis

mulis mille, & ingenioso modo præparant, ægrisque, nausea non raro magis, quam morbo laborantibus, in spem sanitatis recuperandæ propinant.

Quid, sodes, virtutis herbæ libra decoquendo amittet? quid succus in sacharo? quid infusio dabit? cum optima Chemicorum arte, veraque corporum solutione, tantillum vix radicalis Salis, in quo unico rerum residet virtus, enucleamus. Nonne fæces pro vino, pro nucleo cortices, vitium pro virtute vendunt? Nonne miseram ægrorum turbam tantopere auxilium efflagitantem defraudant? Abjectum multo magis certe prodest retento.

Quare non Salem, non oleum, non Spiritum, Phlegmatis educti, Siruporum, decoctorum, & infusionum loco, conficiunt? cur confectos in unum efficacissimum corpus non redigunt? Hujusmodi concentrati medicamenti tria grana plus virium, libra herbarum pulveris, in sanando exerent.

Haud Pharmacopolio, haud tanta medicamentorum suppellectile, opus. Excellen-

cellentiſſima medendi ars paucis regulis, paucis pharmacis conſtat.

Ridiculi ſunt jamdudum à cordatis Viris exploſi humores, ridiculæ complexiones, ridicula temperamenta, ridiculæ centum aliæ medicorum quorundam puerilitates. Unus tantum eſt morbus, unum Antidotum.

Sed manum hac de tabula. Medicina enim reformata noſtra ſatis, ſi Deo placet, aperiat, quæ ſub pulvere terræ huc uſque jacuerunt.

Præſentibus tantum acidum & alchali non eſſe principia, ſed SAL NATURÆ degeneratum, & præternaturaliter ſeparatum, cumprimis probare conatus ſum.

Ampliorem de Natura & hac doctrina rationem, atque experientiam ipſa inaudita mea Phyſica theorica & practica, proxime mundo communicanda Europæo, demonſtrationibus lucidiſſimis præbebit.

Extra ſcopum his, amore proximi, apponamus incognitum de ſale arcanum:

Illam

lam videlicet omnibus Chemiæ & :edicinæ cultoribus desideratissimam, ve. ım & placidam gravium ac calcinatorum .lium volatilisationem.

Ubi breviter notandum, nullum in Jatura Sal esse naturaliter fixum; sed mne certo gradu volatile, & quod fi- um possidemus, ignis calcinatione ni- nium exsiccatum, combustum & mor- ificatum est.

Reddatur itaque amissum, & corruptum cstituatur per aërem sequenti universali nethodo:

Rec: Sal, calcinatū aut natura grave, solve in iqua; lixivio tenui ollam novā non vitreatā in- 'us ad satietatem imbue, & super ignem e- vaporando aquam sali associatam separa: Sic 'al fixum ollæ poros ingreditur, & olla aëri exposita, per aërem corrigitur, ut domo ex- eat, & volatilisatum, lanæ instar, externæ ollæ superficiei adhæreat.

Quod abrasum paucis manipulationibus sub- limatur. Vel per modum particularem:

℞. *Salis Tartari calcinati, q. v. super- funde acetum vini destillatum, pone in di- gestionem*

gestionem, usque dum totum Sal in aceto sit solutum. Demum acetum cum soluto Sale per mensem philosophicum (40. *dies*) *digere, post digestionem abstrahe acetum; & tunc in fundo Sal Chrystallinus relinquetur, & fere diaphanus. Edulcora, solve aqua pluviali destillata, & semel atque iterum filtrando à fecibus purga, ut Salem accipias apprime clarum albissimumque, à quo per iteratam cohobationem in B. V. destilla S. V. phlegmatis expertem. Digere rursus per mensem cum S. V. Tandem igne arena vehementiore, detracto prius S. V. sublimatur; & vitri lateribus Salem Tartari volatilem adhærescere jucundis conspicies oculis. Aut faciliore via:*

℞. *Sulphuris communis flavi* lb. j. *Salis Tartari, aut alius calcinati* lb. ſ. *prior leni igne in tigillo fluat, posterior ad finissimum redactus pulverem addatur, semper spatulo ligneo in Sulphure fluente moveatur, & super carbones sinatur, dum massa, aut Hepar, tenacitatem picis acquirat. Massam in ligneum atque paulisper madidum effunde orbem, calidum adhuc in mortario calido*

contunde

ntunde , & sufficientem spiritus Vini uantitatem , (latitudine duorum digitorum iritus in vitro materiam superet) qui mox oxque Tincturam Sulphuris extrahit , af-unde. Hanc separa , & ex Tinctura & ecibus forti igne tractatis , Sal Tartari cido Sulphuris Sale correctum & volati- paucis horis depromes.

Alias brevitatis amicus prætereo me-hodos. Vtimini revelatis interim feli-es arcanis ; & explicata sumite fronte o amico hunc in Naturæ mysteria in-oitum.

Huc Ipsi, novo innixi fundamento, tiones & experientias vestras conver-te. Certo certior scio , longe citius & cilius ad occulta Naturæ arcana Vos erventuros.

Semel adhuc repeto : Aqua viscosa t omnium rerum simplex & unicum E-mentum , Vera , sola , & indubia sunt rincipia Aër, Aqua , Terra : ita tamen, t hæc principiorum Trias nihil prorsus ossit producere , nisi in unitate. Ele-enti ex principiis primogenitus,aut cen-trum

rtrum, eſt Sal; cujus corpus, ut ita loquar, magis in Terra, Spiritus magis in Aqua, & anima magis in Aëre reperitur. In mille Sal tranſmutari poteſt formas, prout Naturæ motus obſervantur gradus.

Ne quæratis hoc Metallorum, Vegetabilium, & Animalium Sal in alio, quam in Aëre; in Aëre, inquam, qui noſtra circumvolat capita.

Magnetem, quo facilimè attrahitur, gratis, & crudum, dat Deus, & cognoſcere ſinit ab illis, qui principium Sapientiæ in Tri-unæ Majeſtatis amore & timore quærunt.

Magnes noſter eſt animalis, vegetabilis, & mineralis: Non Terra, ros, nebula, pluvia, ſilex, nitrum, Mercurius, ſal, minerale, vel metallum, non animalium excrementum, quacunque etiam ratione & arte ab experientiſſimis elaborantur. Sed eſt, per Deum Verum, VIS ALIENA TESSÆ NOSTRÆ.

Meræ & *pueriles* opiniones ſunt *poſitiones de ſpiritu mundi* Veſtris appenſæ miſcellaneis.

laneis. Erronea *Nuysement*, & *Nietneri* ipta. Magnes nothus, quo *Hermes* ſter ſane ſane non invidendus, (ſicut ne timet) *in tractatu de auro auræ* glori- ar.

Mentitur, quiſquis ſit, *Semiramidis* tor *Tumbæ*, *quam, cum ſtulte ſigillatam* *eruiſſem*, *non Cyrus*, *ambitioſus*, *ava-* *s*, *verum philoſophus judicio maturo*, *the-* *ris ſomniorum fraudumque inexhauſtis*, *iloſopho nullatenus ſufficientibus*, *impletam* *peri.*

Facie, juro, rubore ſuffuſa, tantæ mæ auctoritatiſque Collegium ſcriptis is curioſis quorundam ſchedulas nauci, ſcœna mendacia, inutileſque conjectu- s, immiſcuiſſe, & laudibus in cœlum, plorandum facinus! ſuſtuliſſe.

Cœterum Epiſtolam ſecundum ver- a ſimplicia, non tropice, aut æni- matice intelligatis; nec ſententiam me- n obſcuram & umbratam habeatis. capham appello ſcapham: & quæ jam lui dicere, dixi clare, quæ nolui a- erte, tacere malui.

Valde

Valde rogatus in gratiam multorum amicorum, quorum quidam magna Germaniæ lumina, *scripsi humili stylo res arduas.*

Tandem Vobis omnibus, Nobilissimi Viri, nominatim autem clarissimis his Academiæ curiosæ membris, Dn. D. *Volckamero*, Medico Noribergensis Reipublicæ primario, Dn. D. *Franco* Professori Heidelbergensi, amicis meis oculissimis, & Dn. D. *Wedelio*, Professori Ienensi, atq; Serenissimorum Ducum Saxo-Gothanorum ac Saxo-Vinariensium Proto-Medico, affini meo, humanissimam impertiens salutem, sequenti concludam dicto: Ut non arbitror contumeliosum, à quoquam Autore, quamlibet magno, aut vetusto, dissentire; ita haud gravatim à me ipso dissentiam, si quis afferat, quod sit rectius, etiamsi idiota sit, qui doceat.

Ex Musæo Bataviæ, in Insula Indiæ Orientalis Iava majore, ultimo Anni 1678. mense.

Celeberrimæ Academiæ Vestræ Cultor

HELBIGIUS

F I N I S.

VIS ALIENA TESSÆ.

ſive

Epiſtolium reſponſorium *Hermeticè* Commentans & explicans

EADEM

n Scripto Helbigiano: In-
:oitus in veram & inauditam Phy-
cam intitulato, & primùm Bataviæ in India orientali, anno 1678. poſteâ verò Hamburgi ann. current. impreſſo, contenta

VERBA.

ꞁliquot abhinc menſibus BARVTHI, nunc HEIDELBERGÆ

Excuſum à Samuele Ammonio, Anno M DC LXXX.

Cortalaſſæus:

Arduum eſt, quod quærimus, ſed poſsibile.



Tit.

Literæ ad me transſcriptæ ſimulque miſſus Tractatulus, Introitus in veram atque inauditam Phyſicam intitulatus, & à Doctore Helbigio editus non exiguo me affecerunt gaudio, me certiorem facientes novi alicujus Adepti, & quidem Sententiæ meæ in Puncto de materiâ Lapidis, aliiſque conſimilibus, accedentis. Quemadmodum enim in Tractatulo meo eam, * nec non Elementa & Principia Philoſophica aquas eſſe ſatis edocui, ita ipſe D. Helbig. aquarum ſtatuit Trigam, & ex unâ reliquas duas ſeparatas.

§. 2. Unius ſumus Sententiæ: nullum

* Conſentiunt quoque duo illa Scripta noviſſima, unum nimirum à D. Gothofredo Mœbio editum, alterum autem Cabala Chymica intitulatum, & quidem maximè Philoſophic. ſenſu ſumpt.

nimirum [præter ventum & äerem] esse vel fuisse Spiritum Mundi, nec confusum Chäos, & in aliis uti dixi consimilibus.

§. 3. Opinionem autem de Elementis, nempè aquam unicum esse Elementum, aërem vero & terram ejusdem tantum partes: Nec non ignem motum saltem esse supernaturalem, capere non possum. Aër utpotè aqua subtilissima, fatente ipso Helbig. verum principium est Astrorum, Solis, Lunæ & Stellarum: Terra verum principium, & respectivè genetrix est, omnium animalium, vegetabilium & Mineralium; Ergò sunt Elementa. Nec obstat, quod reliqua duo ex aqua sint separata & producta, quin homo quoque ab homine nascatur & generetur, & tamen non sit pars tantum hominis, sed æquè sit & appelletur homo, atque ille, à quo natus & generatus est: In Lapidibus, Ferro, Chalybe &c. ignem esse, exemplum ab ipso Helbig. allatum docet & commonstrat, alias enim per collisionem unius & alterius

minimè

minimè elidere posset: quo ergò satis probatur, Ignem in Elementis latere, quippe quod talia mineralia ex illis & præsertim ex aquâ generentur; Et in propatulo sit, quod quilibet finis, suo respondeat principio: Id quod etiam nautæ observant à fluctibus maris navi allidentibus & noctu instar prunarum apparentibus, in aqua ignem esse judicantes.

§. 4. D. Helbig. negat principium Philosophicum, quod sulphur vocant, esse Elementum, materiam quandam primam, ignem &c. Attamen Salem Naturæ esse expresse profitetur. Quid autem hic Sal aliud, quam aqua per artem in formam ignis alterata? ergò Elementum: utpotè universalis Naturæ, Ignis confortans, conservans, digerens: meritò etiam dicitur forma lapidis, quia eundem informat, & illi virtutem tingendi præbet: Unde: Lapis noster non tingit nisi tingatur.

§. 5. Distinguendum quidem est inter Elementū, & Elementatum, inter ignem

 univer-

universalé & particularem, neutrũ tamen est saltem motus supernaturalis, sed motu aut naturali aut supernaturali in actum & effectum deducuntur, ut visui appareant, inflamment &c.

§. 6. Præterea cur, inquam, unum tantum detur Elementum? ipsâ Sapientiâ Salomonis, aliisque sacris Literis pluralitatem Elementorum statuentibus & approbantibus. Quamobrem Reipublicæ Hermeticæ magis expedire censui, Terminos & quandoque Metaphora Philosophorum retinendo ea simul explicare, quam excogitare nova & magis obscura.

§. 7. Opinionem de Nuysement in quibusdam ipse non credo veram, uti ex supra dictis, nec non tractatulo meo apparet, sed tamen ipsius Scripta utpotè erudita & ingeniosa penitus rejicienda esse, haud arbitror, sed potius illis, nec non Bernhardi Comitis Trevisani, Antonii de Abbatiâ, Kellæi, Hollandi & aliorum, hanc debeo laudem, quod ex istis cum in Theoriâ tum in praxi,

non

non parum percepi luminis: Etenim illa perscrutando (inter alia) Antimonii, Vitrioli, Mercurii, Lunæ, Solis, Ignis, Sulphuris &c. nomina animadvertens, nec non in operatione modo dictorum mineralium & metallorum formas observans, atque in medicina effectus ab authoribus descriptos attendens, me regiâ viâ progredi judicavi; Ubi aliâs quandoque, nec defectus, nec profectus cognoscere valuissem. Et verissimum dico, me nunquam veros Philosophos in fundamentis artis depræhendisse dissentientes; licet in terminis [quibus tamen sæpiùs comparativè tantum utuntur] varient, atque varias in accedentibus foveant opiniones. Præsertim autem omnes, maximè qui hoc tempore scripsêre, per Spiritum Mundi [ut etiam cuilibet Tyroni notum est] materiam universalem & Lapidis indigitare volunt: Et ipse Author noster, salem animalem, vegetabilem & mineralem [id est universalem] in aëre quærendum docet. In aëre inquam, qui à Philosophis quandoque

C 4 voca-

vocatur terra ſuprâ capita noſtra volans: ſumpto nimirum continente pro contento. Taceo denique quod jam citatus Author noſter, quamvis ſingularis, Terminum Magnes [inter alios] à dictis Philoſophis mutuatus ſit.

§. 8. Hiſce præmiſſis, [quæ quidem ultra intentionem excreverunt, adeoque forſan inutilia & ſupervacanea ſunt, quandoquidem terminos & Metaphora Philoſophorum ſatis intelligis, & quod non verba nec Syllabæ, ſed ſenſus & res in Hermetica Philoſophia ſint obſervandæ & conſiderandæ noſti] ad ſcopum, & rem ipſam propero: Verba ergò illa in Scripto Helbigiano contenta: *TESSA* nempè & *vis aliena TESSÆ*, quod attinet. Pro primo, P.H. G. D. M. O. vir doctus & multarum linguarum præſertim orientalium peritiâ inſignis, meâ ex parte rogatus, vocabulum

T E S S A:

arabicè ſignificare *occultavit*, reſpondit: Et ſanè nec quicquam aliud ſignificare poterit,

poterit, quam summum Arcanum, sive illud principium Philosophicum, de quo jam suprâ: quod etiam mas, Sol, Oleum &c. vocatur. Theophrastus illud magnæ esse virtutis & verum Spiritum Salis, tradit; quo cum ipse Helbig. hoc principium, ut supra dictum, Salem Naturæ esse, profitens, consentire; Qui cœteroqu in hoc vocabulo [*TESSÆ*] similiter terram illam, cujus suprâ mentio facta est, designare, videtur; ut indicant seqaentia, nempe:

VIS ALIENA TESSÆ!

§. 9. Ea autem [pro Secundo] æquè principium Philosophicum & quidem *Clavem artis* denotare, inter cœtera ex his colligo Helbigii verbis, dum dicit: Magnes noster est animalis, vegetabilis & mineralis: Non terra, pluvia, Silex, nitrum, Mercurius, Sal, minerale, vel metallum; non vegetabile, non animalium excrementum, quacun-

que etiam ratione & arte ab experientissimis elaborantur, sed est, per DEUM verum, vis aliena Teslæ nostræ. Et hæc duo principia cum terrâ (Philosophicâ) totam & perfectam constituunt Trigam, atque, mediante conjunctione ipsum Lapidem.

Quæ omnia confirmantur ipsius Helbig. de äëre in aquam reductione discursu: formalia: Quamobrem ille per ignem Philosophus ob nostri Magnetis ignorantiam erravit multum, quando äëris in aquam reductionem negavit: Quæ non quidem fit per ejus violentam condensationem sive compressionem: Verum virtute Magnetis universalissimi & universalis, Terrâ & nostrâ Teslâ placido amplexu &c. Quo etiam pertinet sequens dictum Philosophicum antiquum: Das Weib bindet den Mann / und der Mann bindet das Weib / und von ihnen beyden wächst ein Sohn / der da nicht gleich ist seinen Eltern. Nec non illud Africani (referent. Filio Sendivog.) oportet nos duo conjungere, quam con-

onjunctionem Philoſophi comparave-
unt conjugibus, ex quorum amplexu re-
ultat aqua aurea.

§. 11. Et ſanè hæc aqua eſt Medicina omni-
m optima (ſecundi quidem ordinis) Sal
Naturæ; Qui ex Sale, per Salem & cum
ale perficitur. Prout ne quidem Medi-
na tertii ordinis, quæ ſola verè & re-
iter tingit, (ut in tractatulo meo bre-
ter notavi, & ſubtiliſſimus ille Geber
ſtatur) quicquam aliud quam Sal
♁.

§. 12. Credo autem Helbigium inventione
ctorum terminorum & verborum de-
onſtrare voluiſſe, quod ſit Philoſo-
hus; minimè quidem exiſtimans, il-
m proptcrea vituperandum eſſe, cum
lagiſterium noſtrum ejusdemque per-
ctionem, non ſolum in jam citato
ſcurſu, ſed & alio loco, ſatis aptè lu-
lenter & nervoſè tractaverit; quæ ta-
en pluribus intellectu difficilia fore,
mo negabit.

§. 13. Ergò non fallere videtur effa-
m Theoprafti: Weme GOtt die

 Gnade

Gnade gibt/ dieses Arcanum zuwissen/ dem gibt Er auch die Gnade solches zu verbergen.

§. 14. Cœtera & maximè quæ de creatione & anima adducit, hâc vice, non sunt nostri instituti, quandoquidem autem Scripto meo videntur contraria, ad ipsum Scriptum & Tractatulum meum me refero, fretus, hisce in punctis (ut & in aliis) scripsisse veritatem, & S. S. Scripturam pro Sententiâ mea stare. Minimè tamen nec in his nec in supra relatis D. Helbigium reprehendere gestio, qui ipsum potius pro Philosopho Hermetico & vero possessore istius arcani veneror. Gavisus tamen non minus, quod veritatem in Europa & Germania nostrâ [DEI gratiâ] nacti sumus, nec eam ex India expectare necesse habemus. Tandem verò sicut supra dixi, omnes Philosophos per Spiritum Mundi materiam universalem & Lapidis indicare velle; ita, ut verum fatear, Helbigii discursum hâc de re Epistolæ suæ in fine annexum, approbare non possum; Quoad Tra-

ad Tractatum Neysemanni jam suprà judicium meum interposui: Et licet Nietneri & Balduini, sic dictus, Spiritus Mundi vera materia universalis & Lapidis non sit, tamen est Arcanum Naturæ; Quapropter nec eorum Scripta (& quidem in præjudicium aliorum virorum graviorum) penitùs contemnenda neque mendacia obscœna nuncupanda esse puto. Præterea non decet Philosophum errantem injuriâ afficere, sed potius eidem succurrere.

Hæc sunt quæ pro satisfaciendo desiderio tuo in supra dicta verba Helbig. hac vice brevissimè commentari volui, potui, debui. Quibus. &c.

Mens. Februar. 1680.

&c.

Author. candid. Phœnic. Philosophic.

NE detur vacuum, ad confirmationem & declarationem eorum quæ ſuprâ de conjunctione & perfectione Lapidis dicta & allegata ſunt, ſequentia apponenda duximus.

Lucerna Salis Philoſophorum.

Conjunctionem noſtram quod attinet, eſt duplex conjungendi ratio, altera humida ſiccaque altera, & ſicut ſperma virile ſimul, & unâ vice matrici immittitur, eaque poſtea in momento clauditur, usque ad enixionem & partum fructus: Ita etiam res ſe habet in noſtro opere, in quo conjungimus duas aquas, Sulphur auri, nec non ejus Mercurii, animam & corpus, ſolem & lunam, virum & fœminam, duo ſemina, duo argenta viva, ex his fit vivus Mercurius, ex eoque Lapis Philoſophorum.

Poſtea

Postea quam rectè præparata est terra,
Ad imbibendam suam humiditatem,
Tunc sumas simul spiritum animam vitamque
Adducasque in hanc terram.
Quid est enim terra absque semine?
Corpusque destitutum animâ?
Animadvertes igitur atque observabis;
Mercurius reducitur
In matrem suam ex quâ venit,
Projice in eandem ipsum, & erit tibi commodo:
Solvet semen terram,
Et terra semen coagulabit.

***

Sequitur Processus

Ad imitationem Philosophorum quidem scriptus, cujus clavis tamen non solum ex antecedenti Epistolio, sed & maximè sæpedicto Tractatulo facilè sumi potest.

Recip.

Mercur. Virgin.
Cinabar. Nativ.

pond. una nimir. pars ad duas, tres ad quatuor.

Compone, & vas. claus. pone in Athanor.
Coque lento igne donec cauda pavonis appareat.

Recip.

Recip.

Mercur. Antimon.
Ol. Vitriol.

Coq. tere , ſublima uſque dum ſuperius fiat ſicut inferius & inferius ſicut ſuperius.

SOLI DEO GLORIA!

FINIS.

J. O. HELBIGII
Epistola
ad præcedentis libelli, qui intitulatus est,
VIS ALIENA TESSÆ,
Autorem,
Dn. W. F. I. Con. B.

Nobiliſ. & Conſultiſſime Vi[r]

LEgi aliquot abhinc diebus ex Africa i[n] Germaniam, laus Deo, reverſus e[-] piſtolium Tuum reſponſorium Hermetic[e] commentans & explicans mea in Introitu in veram Phyſicam verba: VIS ALIE-NA TESSÆ NOSTRÆ.

Quod ſcriptum in quibuſdam mihi valdè placuit; inprimis Tuum in Phyſica fundamentum eſſe Aquam: Quæ ſcientia contingit adhuc paucis. Sed an prima & elementaris Aqua Tibi planè ſit cognita paucum abeſt, quin, Tuo mihi ſalvo favore, dubitem.

Alias forſan circulationem vidiſſes, quâ Aqua principialis, ſeu, elementata, cum Aëre, & Terra in primam & elementarem Aquam (viſcoſam) ſemper in Natura ad rerum (præſertim pomorum Heſperidum) productionem coit; Et quâ ipsâ elementum in tria rurſus principia per motum ordinatum abit.

Confiteor Tecum Aërem Aſtrorum, Aquam

quam & Terram animalium, vegetabi-
um, & mineralium principium. Sed
uoniam ex Aqua viſcoſa fuerunt ſepara-
, aut quia viſcoſa Aqua in illa princi-
a divinæ lucis motu abivit, non poſſunt,
ortum ſuum debentia creatæ materiæ
riori, dici Elementa; verum principia,
el poſt principia, tantum.

Paucis: Conſideranda à nobis hic eſt
rinitas Phyſica in unitate, & unitas in
rinitate. Ita, ut nec Aër, nec Aqua,
ec Terra ſit Elementum, niſi adjunctis
ſſentialiter reliquis. Unum ſemper abit
Tria, triaque congrediuntur in unum.
t licet talis Elementi alteratio vocetur ſe-
aratio: Tamen proprie non eſt ſepara-
o; quod Tria hæc naturalitēr nunquam
c ſeparentur, ut indeſinenter ſibi invicem
on adhæreant. Sed ad cœteras breviter
bjectiones:

§. 3. *Quin homo quoque &c.* Allegatio
enerationis humanæ, quod cum Ele-
enti ſeparatione, aut rectius alteratione,
ere non conveniat, nulliūs hic eſt utili-
tis. Comparari autem poteſt egregiè

generatio

generatio hominis ex ſemine viſcoſo homi-
nis, cum generatione Salis Naturæ ex ſemi-
ne viſcoſo principiorum: De quo Sale ta-
men nobis nulla forſan diſſenſio.

§. Eâdem: *In lapidibus, ferro, &* Diſtinguatur inter Ignem potentialem & actualem. Tibi de potentiali, mihi de actuali, verba fuerunt. Et quod potent ad ignem, ſeu ignis potentialis, omnibu inhæreat creaturis, negare haut volui. Ho tamen obſervandum, talem ad ignem po tentiam nunquam, niſi motu & motio ne vehemente, qui præternaturales, i actum venire. Amplius hic nihil reperi rejiciendum, vel magis explicandum.

Maris circa navem ſcintillantis (quo pluſquam millies vidi) cauſa, eſt vehe mens Salis in muria ſpumante, & qua efferveſcente motus per nimium premen tem navis curſum excitatus: Quo pars na vis inferior, & interdum ipſa Aqua tange navem, fiunt calidæ.

§. 4. Materia alterata non eſt eaden quæ fuit ante alterationem. Alteratio e nim aliam dat formam. Ideoque altera tum cum forma priori etiam prius nome

amitti

mittit. e. g. Herba, quæ ex aqua altera- a constat, amplius non potest aquæ nomen habere.

Vocabulum *supernaturalis* de igne bis i Te in locorum allegatione meorum usurpatū cum *præternaturalem* dixerim, menda forsan est Typographica, igitur negligendum.

§. 6. *Præterea cur, inquam, &c.* Scripturam Sacram quod attinet, illam ad Physica fundamenta nobis demonstranda esse datam, non putem. Ideoque meæ etiam probationes doctrinæ in naturalibus ex illa sumere planè nolim. Quia tamen Sapientiæ librum Elementorum pluralitatem proponentem, aliaque loca Bibliorum innominata, adducis, paucis videbimus, an illis aliquid insit, quod Tibi magis, quam mihi, consentiat. Petendum autem erit ex græco textu, ubi in lib. Sapient c. 7. v. 18. legitur ἐνέργεια στοιχείων, in latina sonans versione communiter virtus, vel vis efficax, elementorum. Sed quid vox στοιχεῖον exactè significet, plurimis est adhuc sub lite, Aristoteles, lib. 5. Metaphys.

taphyſ. totum caput tertium in ho
vocabulo evolvendo inſumens ait, (μετα-
φέροντες δὲ στοιχεῖον καλοῦσιν ἐντεῦθεν, ὃ ἂν ἓ
ν ὂν καὶ μικρὸν, ἐπὶ πολλὰ ᾖ χρήσιμον) στοιχεῖο
etiam dici *id, quod unum eſt, & parvum
ſive exiguum, & tamen utile ad multa.*

Apud Budæum στοιχεῖα ſunt partes re
diviſæ aut ſeparatæ. Et Syrus interpre
lib. ſap. c. 7. v. 18. vertit ἐνέργειαν στοιχείων
virtutem orbium cœleſtium. In Græco teſtamento στοιχεῖον legitur ſepties; quinquies exponitur per *rudimentum, elementum, initium, principium:* Bis, nimirum in Epiſt. poſter. Petri c. 3. ſumitur variè & diſtinguitur à cœlo & terra. Apud ſeptuaginta interpretes nuspiam occurrit

Quod ſi ad originem reſpiciamus, fatemur ejus ſignificationem ad στοῖχον, *ordinem.* Ita, ut terminationis analogia notare videatur *id, in quo, vel ex quo, ordo progreſſivus, vel ordinatus progreſſus.* (Der Orth / oder die Materie / worinnen di Ordnung anfängt) Exactius vis hujus vocis non poteſt exprimi, ſi & primigeniæ radicis & terminationis εῖον, unde deducitur

itur, ſignificatio conſideretur. Ariſto-
:les, cum aliis, originem non attendit.
i ergo Budæo credamus, & ϛοιχεῖα ſint
artes rei ſeparatæ, aut diviſæ, quid am-
lius? nonne res diviſa, vel ſeparata, erit
qua viſcoſa, Chaos, aut Elementum?
ujus ϛοιχεῖα Aër, Aqua, Terra poſt
paratonem exiſtunt; & ex quorum
ιχείων conjunctione iterum apparet in u-
itate res, qualis ante ſeparationem,
: quæ ante talem conjunctionem in
es partes diviſa, fuit. Si Ariſtoteli
nnuimus docenti ϛοιχεῖον dici quoque
*, quod unum eſt, & parvum, ſive ex-
uum, & ſimul tamen utile ad multa*, benè
iam cum mea opinione ſuccedet. Nam
uodlibet ex ϛοιχείοις Aër, Aqua Terra, eſt
num; Sed in unica & ſimplici ſua eſſentia
arvum, ſive exiguum, ἐνεργείας ἕνεκα,
el ratione virtutis. Nihil enim in Natura
nſitivum aut vegetativum ſolus Aër, ſola
qua, vel ſola Terra producere valet.
ed unum cœteris duobus modô ordina-
ò adjunctum, eſt utile ſimul ad multa,
mò ad omnia. Quid Syrus ſibi velit in-
erpres, quando ϛοιχεῖα vertit orbes cœ-

 leſte

lestes, & an per hos planetas, an aliud quid dam intelligat; cur etiam Petrus ϛοιχεῖ à Cœlo & Terra distinxerit, hîc eg non inquiram. Et Analogiæ significa tio, *id in quo, vel ex quo fit ora progressivus, vel progressus ordinatus*, pr mea doctrina sat militat. Nam ant separationem Aquæ viscosæ, primæ ma teriæ, seu elementi, non aderat Na tura præsens naturata, illius ordo pro gressivus, aut progressus ordinatus; in cepit verò tunc demum post separatio nem elementi in tria principia, [respe ctu Aquæ viscosæ, elementi, & prin cipii principiantis postprincipia, siv principia principiata) vel, ut meliu dicam, post ἀποκάλυψιν elementar unitatis in naturali trinitate, in princi piis, vel ex principiis, Aëre, Aqua & Terra: Et adhuc durat in illis ipsis hi ordo, si conjuncta in trina unitate a myriades formarum producendas con tinuò ordinatè progrediuntur. Aliu huic voci mysteriosum inesse non credam Et licet, secundum communem usum simpl

mpliciter pro rudimento, initio, & prin-
pio sumatur: Tamen me non opugnat.
uia ipse quoque Aëri, Aquæ & Ter-
e nomen principium, aut στοιχεῖον, im-
osui, & jam impono. Sed quoniam
mnes creaturæ ex viscositate, vel Aqua
scosa fiunt, producuntur, & in illam
ursus Naturâ & Arte resolvuntur, A-
ua viscosa, seu viscositas aquea, eti-
n se semper separat, atque separatur in
ria, (Aërem, Aquam ac Terram)
anc Aquam viscosam, in qua Tria sæ-
us recitata principia potentialiter nun-
uam non existunt, & *A - qua* sola
iunt, solam vocabulo Elementi affice-
volui. Non quod mihi lis sit, aut
imus disputandi, de verbis: Verùm
majorem ac lucidiorem tantum di-
nctionem inter materiam obscuram,
revelatam, usurpatam terminorum
stinctionem exhibui. Cœterum, quo-
um ipse arbitraris, quod prima crea-
nis materia Aqua, & ex hac reli-
æ omnes productæ fuerint; (vid.
ndid. tui Phœnic. philosoph. theore-

 ma

ma 2.) mihi ſane idem erit, Aërem, &
Terram Elementi, vel principii, vel ali
voce, ornare velis. Si modo Tibi con
ſtet hoc ſæpius repetitum, Aquam vi
ſcoſam eſſe Aëris, Aquæ, & Terræ ma
teriam ex qua, ſeu *A-quâ*. Ex relata i
gitur vocis ςοιχεῖον & ſcripturæ ſacræ lo
corum demonſtratione videbis affatim
illa noſtrarum in naturalibus Doctrina
rum nec teſtes eſſe, nec, ſi forent, il
lud quod de Elementi unitate & principi
orum ex elemento Trinitate prolatum vo
lui, annihilare poſſe.

§. 8. Senſum TESSÆ, & vis aliena
TESSÆ noſtræ acu non tetigiſti. Alium
enim inveniſſes, ſi multoties, & ſine præ-
judicio tractatulum meum perlegiſſes. Ta-
men opinionem & explicationem Tuam
certô reſpectu eruditam & egregiam non
rejicio.

§. 14. *Non decet Philoſophum errantem injuria afficere &c.* Hic reprehendis me, propter injuriam, ut incogitanter ais, erranti illatam. Sed ubi, & quem, Amice, affeci injuriâ? Certe Tua me doluerunt verba.

erba. Quia amator Veritatis hanc ſine
alumniis, & privato, ſanctè teſtor, o-
iô eruditis propoſui. Quod autem ali-
uorum ſcripta nuncuparim mendacia,
uod incurioſa curioſi Germanorum col-
gii collectorum diligentia meis Collegis,
ihique, diſplicuerit, ponderabiles cau-
: moverunt. Et locutio, quæ dura vi-
etur, ex nimio per amorem & cogni-
onem veritatis reddito ardore profluxit:
uem, qui penitus vitare poteſt, clara
eri luce illuſtratum vix credam. Si ego
us duritiei, (ponitur, non conceditur)
urimus doctorum numerus mollitie pec-
t, veritatemque, quam ſæpius eſt com-
ertus, eloqui negat. Homines enim
mis æſtimantur, timentur; Horum er-
ò in optimo quandoque per ſtadium cur-
culo retroitur, & quæritur ab uno la-
re Veritatis, ab altero Virorum ſpectato-
m Veritati publice contradicentium,
vorem tenere. Sed hæc ſtatus ratio, li-
t apud plures noſtrorum graviſſimos
ommunis, rejicienda mihi. Simulatio-
em exercendo, & veritatem operiendo

 pacem

pacem conſervare inhoneſtum, & caſu conſcientiæ. Veritas nuda optimô, quô poteſt, modo exponenda, ut quilibet eam adſpicere valeat. Paſſio ita mei animi privata fuit in ſcribendo ignei in veritatem amoris paſſio, quam egregii omnes Vi haud faſtidient. Quin & Tu ipſe, quamquam injuriarum judicio præcipiti me accuſaveris, Nuyſement, Balduinum, & Autorem Tumbæ Semiramidis quid pro quo, ut vulgari dicitur ſermone, & Naturæ arcanum particulare, vel ſpiritum mundi particularem, pro univerſali Philoſophorum myſterio & ſpiritu, exhibuiſſe confitearis. Si ergo non ſunt tales, quales haberi deſiderant; ſi alia loquuntur quam cogitant; ſi denique docent, quod neſciunt, nonne proximum decipiunt? nonne meritò mendacis ſtigmate notandi? ut facilius nimirum vitentur. Cæterum cum Scriptores Veritatem ex aliis audire recuſent, ipſi Veritatem dicant neceſſe eſt. Alias errantes bene mihi notos, qui abjectâ ſuperbia, quam Diabolo pejus odi, errorem ſincerè profitentur

:entur, pro virili juvare semper fui, ac
im paratissimus.

Tandem, Honoratissime Vir, quam-
is commentans propositam Tibi metam
deo plene non apprehenderis: Tamen
t desint vires, etiam laudanda voluntas.
:t simplici animo maximas, easque debi-
is, ago gratias, quod scriptum meum
Tuo dignari volueris labore, me, me-
orumque amicorum studium, rursus ad
omnia humanitatis officia Tibi totô offe-
ens corde. Gratia & charitas Domini
nostri Jesu Christi sit nobiscum. Amen.

Die 18. Novembr.
1680.

HELBIGIUS.

J. O. HELBIGII
Epiſtola
Intimorum juſſu Amicorum
Ad
Fraternitatem Roſeæ Crucis
Exarata.

INter alia hujus librorum feracis ſecu ſcripta multis abhinc annis curioſo tiam mundo quædam Roſeæ Crucis fra ternitas paucos tractatulos communica vit.

Quibus ſui ordinis antiquitatem, ſu am perfectam in divinis & mundan rebus ſapientiam propalantes tribus d verſis vicibus ſeriò, clara Fraternitatis frattrumque datâ demonſtratione aureum ſeculum reducere pollicit ſunt.

Quæ tamen omnia adeò ſuſpenſa ma nuerunt, ut in tam longô tempore n ullum, quod ſciam, amplius ſcriptum quam quod ſub titulo: Centrum in Tri gono Centri, currente anno Ulmæ excu ſum de ſuâ Crucis fraternitate verba fa cit, ediderint.

Quia autem ultimus libellus à primi eorum epiſtolis longè differat; Incogni tum quoddam Collegium curioſorum humiliumque veræ Naturæ indagato rum ſibi modô debito & conceſſo in dubiam de Fratribus Roſeæ Crucis ve ritatem

atem, ſi poſſent, conquirere, & il-
um Spiritus in Chriſtiana charitate
obare, decrevit.

Mihi igitur Amico ſuo literas, qui-
s graves aliquot interrogationes in-
tæ eſſent, ad illos Typographiâ tranſ-
ittere mandaverunt. Quo libenter à
e ſuſcepto, ſequentia præcedenti meo
ello adjungere volui:

Vos Fratres Roſeæ Crucis, ſi eſtis in
undo, & tales, quales haberi vultis,
r Deum objuro & oro vivum, ut a-
icis meis, mihique ad ſequentes quæ-
ones candidè & amice reſpondere li-
atis;

Cur homo dicatur à Mo-
ſe creatus ad Dei ſimilitu-
dinem & imaginem?

. Cur Deus Homini per
nares halitum vitarum
inſpiraverit?

3. Cur

3. Cur Deus dixerit non be-
num eſſe hominem eſſ
ſolum, & tamen ablati
onem non bonæ illius ſo
litudinis longè peſſimu
Adami ſtatus ſecutu
ſit?

4. Ubi inveniatur pretioſiſ
ſima & viliſſima Aqua?

5. Ubi pretioſiſſimus & vi
liſſimus Aër?

6. Ubi pretioſisſima & vi
lisſima Terra?

7. Qui:

Quis ſit graviſſimus morbus?

Quomodo fiat?

Quid, & unde, optimum Medicamentum?

Quid Kawaliſtis ſignum hoc Chemicum ▽ ſignificet?

Quid in Kawala hoc ſignum Chemicum ⊖ declarare velit?

Quomodo per Kawalam hoc Chemiæ ſignum ☿. explicetur?

DUodecim harum quæſtionum ſoluti-
onem verò clariorem haut deſidera-
mus, quam ut humiles TESSÆ poſſeſſo-
res intelligant. Pro veſtræ igitur Frater-
nitatis lubitu clavis periphraſtica, a-
rithmetica, anagrammatica, cum cha-
racteribus Chemicis, aut aliâ methodo
ad obſcuram hujus myſticæ portæ ſeran
applicanda; Ita tamen, ut locus pre-
tioſiſſimæ & viliſſimæ Aquæ & Terræ
pretioſiſſimi & viliſſimi Aëris, quen
propè Vos invenietis, clarè, & ſine ul-
lo tropo nominetur. Ne autem cogite-
tis (quæ tamen ideæ ob omniſcienti-
am Veſtræ Fraternitati, proprio effato
communem, vix ex Phantaſia Veſtr
formari poſſunt) expiſcandi & diſcend
gratia hæc ab Amicis meis per mean
Tenuitatem proponi, jubeor VOS *eſſen-
tiis Cordialibus 56. Aſſæ dulcis* donar
Quas odori ſaporique Veſtro acutiſſim
his tradens, ſemel adhuc humiliter p-
to, brevi nos optatâ dignari reſponſi-
ne.

Ut Amici mei certiores, quod ve
exiſt.

istatis, facti magnâ frui lætitiâ, & pro-
nè semet ipsos coram Vobis, Viris
pientissimis, clanculum detegere pos-
t. Valete! Gratia & charitas Domi-
nostri JESU CHRISTI sit nobiscum
omnibus. Scriptum die 19. Novembris
80.

â Fraternitatis Vestræ

Servo humillimo

HELBIGIO.

D. J
HE

NT
ER.
TA

F

adG

MAT

I. JOH. OTHONIS HELBIGII, Med. Doct.


NTROITVS IN ERAM ET INAUDITAM PHYSICAM DEFENSUS

Per Epiſtolam

d Generoſiſsimùm D.R.R.
de St. &c. &c.
à
IATTHIA SCHEFFERO.

Francofurti

Anno M DC LXXX.



Generosissime Domine,

Domine Compater æternum colende,

NOn credo ullum in mundi ætate seculum tam obnixè laborasse, ut indubia veræ Physices demonstrarentur fundamenta, quam hodiernum. Societas Anglica hanc ob causam omnes movet nervos. Curiosa Romani Imperii Academia idem agit indefessè. Erudita Danorum, Gallorum, Italorumque Collegia ne latum cedunt unguem. Quid? quod ex particularibus personis tam multi in forum procedunt, qui soli id negotium perficere conantur, quod hîc & illic magnus eruditorum numerus suâ ratione & experientiâ unitâ, adhuc actum reddere haud valuit. Est autem ex illis, meo judicio,

non infelix, *Dn Johannes Otho Helbigius Med. D.* qui ex Bataviâ Indiæ Orientalis urbe, concinnum nobis tractatulum, *Introitum in veram & inauditam Physicam* intitulatum transmisit: Scriptum, quod postquam perlegerim, rationis ac experientiæ trutinâ benè ponderaverim, mihi valde arrisit. Me igitur continere non potui, quin Tibi, Viro Doctissimo, & in Physicis maximè curioso, non solùm hunc Introitum &c. Sed & *Anonymi cujusdam responsorium epistolium, Hermeticè commentans & explicans Tessam, & vim alienam Tessæ*, verba in Helbigianis paginis contenta, meamque simul prolixam de ultimo sententiam communicem. Quæ, qualia Tibi videantur, pro admirabili divini Ingenii Tui acumine, haud gravatim judicare, meque aut confirmare, aut deflexum reducere velis, humiliter peto.

§. 1. A Titulo epistolico anonymi mihi exordium: Qui pollicetur, *Verba scripti Helbigiani Hermeticè commentari & explicare,* uti etiam in clausulâ Epistolæ;

se de-

debuisse, potuisse, voluisse, & fecisse, sibi-
ct gratulatur, cùm ne quidem jota com-
entationis & explicationis, minùs Her-
etis scientiæ, ejus insit scripto. Ardu-
n est non intellecta explicare; magis,
ommentari velle: stultum verò, impos-
bilia polliceri. Quæ enim TESSA Hel-
giana sit, quænam ejus Vis aliena, nullo
i putatitio attigit verbo. Sic futilis ha-
tur, qui promissis non stat, nec in cu-
s virili est præstare. Bonus ille ano-
mus sibi imaginari non potuit, esse in
rum naturâ, vel potiùs in Germaniâ, quen-
m ipsius scientiæ parem, qui Drem
elbigium defendere, vel istum debella-
possit. Ipse Dris Helbigii sententiam
vertendo hallucinatur; quem, sub con-
overfiæ statu:

§. 2. Num aqua sit unicum Elemen-
m, aër vero & terra ejus partes? di-
sse refert: in genere *Ignem* in Elementa-
esse motum supernaturalem: cum ta-
en *præternaturalem* eum descripserit.
idetur itaque nescire, *supernaturalita-
m* longissimè differre à *præternaturalitate*.

 §. 3. pro-

§. 3. Proinde apodicticè diſputare no
videtur, ſic argumentando : *Aer, utp*
te Aqua ſubtiliſſima, verum eſt Princip
um Aſtrorum Solis, Lunæ & ſtellarun
Terra verum Principium, & reſpecti
Genetrix eſt omnium Animalium, Veg
tabilium & Mineralium : Ergò ſu
Elementa. Non autem attendit, quo
id, quod ex aliquo fit, non ſit id, ex qu
fit. Differunt enim in Phyſicis Elementu
& Principium, (ut primum Elementatum
cauſa & effectus. Aër, aqua, & Ter
ſunt facta, vel ſeparata ex aliquo alio
ſcilicet ex primo & unico illo Elemen
(Aquâ viſcosâ) primitus creato. Qui
quid jam ex alio creato ſeparatum & pr
ductum eſt, non eſt Elementum : Atq
Aër & Terra (propriâ Anonymi co
feſſione) ex aquâ ſeparati & producti ſur
Ergò non ſunt Elementa. Chaos eni
à DEO creatum, factâ Creatione,
prima ſua elementata, nimirum in a
rem, aquam & Terram, ſeparatum e
propterea hæc, ut elementata, ſuo El
mento fuerunt poſteriora.

§. 4 Inſup

§. 4. Inſuper negabit Dn. Helbigius,
ıod aër & Terra ex aquâ ſint producti;
d affirmabit, aquam viſcoſam in illos
ſe ſeparatam. Ex quo omni Philoſopho
no-ratum erit; aliud eſſe produci, aliud
parari: quandoquidem ſeparatio partes,
hilo remanente; productio, ſubſtantiâ
æſa, productum exhibeat. Proinde Prin-
piorum explicatio intendenda. Aër, A-
ua & Terra ſunt Principia ſeparata ex
nico Elemento, nempe aqua viſcoſâ,
uæ conjuncta rurſus Elementum vocan-
ır. Nam ſi per Imaginationem naturæ
ër, Aqua, Terra, ad alicujus produ-
tionem uniantur, fit ſemper ex hiſce tri-
us aquis, ſeu principiis, una aqua viſco-
, ſeu Elementum. Quod innumeris
oteſt demonſtrari exemplis. Et ſi juxta
nonymi verum effatum in propatulo ſit:
Quod quilibet finis ſuo reſpondeat principio:
ippis & tonſoribus notum erit, quod-
is Animale & vegetabile in ſuo regredi
ine ad viſcoſitatem. Qui in Animali gi-
nentis, & in Vegetabili vegetantis ſe-
ninis viſcoſitatem animadvertit, dubius

rei Veritatis nunquam foret. Mihi multa notum eſt praxi omnia Metalla & mineralia, in ultima ſui reſolutione viſcoſam fieri rurſus materiam. Sunt itidem, qui inviolabili rationis ac experientiæ argumento Stellarum excrementum in terram delapſum (vulgò Sternſchnupfen) ex viſcoſitate materiæ, quam præ ſe ferunt, ad Elementum ſuum primum referre non erubeſcunt. Eſtque omne Naturale ex ſuo Elemento vel progenitum & productum, vel ſeparatum, ſemper in primordiam ſuam materiam viſcoſam reducibile. Elementum enim, ex quo fiunt Elementata, rurſus in Elementum, ſui ſimile, determinat: & illud in infinitum. Ergò, ne Elementata cum Elementa confundantur, Elementatum ab Elemento diſcernendum.

§. 5. *Nec obſtat*, pergit Anonymus, *quod reliqua duo ex aquâ ſint ſeparata & producta, quum Homo quoque ab Homine naſcatur & generetur, & tamen non ſit pars Hominis tantum, ſed ſit & appelletur æquè Homo, ac ille, à quò fuit natus, & generatus.*

tus, Miror equidem Anonymi pueri-
: ingenium. Quum exemplum & simile
e Hominis Generatione allatum hîc to-
im sit ineptum. Non enim Principio-
um separatio & Hominis Generatio in
io tertio conveniunt. Quis erit, & non
iet, unum totum in tria separare, ita
t nihil reliquum supersit, esse aliud,
uàm ex subtilissima alicujus totius Es-
ntia subtilissimum producere & genera-
: semen; ita ut generans maneat incor-
iptum immutatumque? quis non con-
udet? Ergò, longè aliud est gigni, a-
ad separari. Non addere necessum ha-
eo, illo tempore, quo semen per mo-
um venereum ab Homine separatur Se-
ien non posse dici Homo; nec Semen
Ierbæ, quo tempore seminatur, dici Her-
a; cùm & rusticus differentiam Semi-
is, & ex semine producti, vel geniti,
suo producto, genitòve, dignoscat, &
Iominem, & Herbam ex suo Semine,
patio temporis longo, fieri affirmet.

§. 6. *In lapidibus ferro, Chalybe &c.*
gnem esse, eoque probari, Ignem in Elemen-

tis latere ; quippe quod talia Mineralia ex illis, & præsertim ex Aquâ, generentur; Autoris Anonymi suppositum est. Quasi Dr. Helbigius unquam negasset, in Metallis, Mineralibusque Ignem esse potentialem. Verummodo, quis non agnoscet aliud esse, quod est actu, & quod sit potentiâ in aliqua re? Ignem potentialem inesse Metallis vel Mineralibus, hisce satis liquet: quia Ignis per vehementem & inordinatam motionem ex centrali Lapidis & ferri Sale producitur. Non inde patet, aliquid inesse rei actu quod insit potentiâ: ipso alioquin DEO & Naturæ inficias dixerimus. In omni enim bono est malum potentiâ. Sic & latet in omnibus animalibus potentiâ Mercurius currens, & tamen non actu nisi eventualiter per artem. Ex bonis Angelis malus & pessimus delapsus est Diabolus, quia malum potentialiter in bono erat, secus Angelus bonus non potuisset fieri malus. Igitur fatuus, plus magis, erit, qui ex hâc potentiali malitiâ Angelos bonos declarabit malos; quia

uia ex ipſis bonis actu Diabolus factus ıit malus. A potentiâ ad actum conſe- uentiam non valere, ipſa dictat ratio. gnem igitur Potentialem, qui in Ele- ientis latet, cum actuali commiſcere, nonymi incogitantia eſt. Nam Ignis otentialis planè eſt nullus, quia actus eu motus, & Potentia non ſunt ſimul: Nec probat, Mineralia ex Elementis, præ- ertim aqua, vigore Ignis potentialis hoc poſito, non conceſſo) generari. 'otentialis Ignis nunquam ex ſe, nec x ſuo principio in actum transfertur, iſi adhibitâ motione externâ, vel motu nterno, & quidem vehementibus ac nordinatis.

§. 7. *Eſtque in propatulo*, ſupplet ano- ıymus, *quod quilibet finis ſuo reſpondeat rincipio.* Verum, concedo. At cano- ıem huic ſe aptare loco, non video. Li- ;eat enim ex chalybe &c apparere Ignem, ıon tamen ille Ignis eſt finis ſui princi- ıii, aut id, propter quod Chalybs eſt: quandoquidem ejus productio motu fi- ıt inordinato, & talis Chalybis ſolutio

non sit homogenea. Nec sequitur: qui Ignis est ex Chalybe, Chalybs ex aquâ ergo Ignis fuit in aquâ. Si fas esset, eodem concluderem modo de Peccato quod Diabolus commisit ex motu Luminis sui inordinato, alias superbia dicto Peccatum nimirum quod est in Creaturâ, ut effecto, etiam esse in Deo, ut causâ efficiente Creaturam, dicerem Nam Diabolus est Angelus à Deo creatus bonus; erat verò in ipso malum potentialiter, cùm adhuc bonus Angelus esset: Nam potuit fieri malus. Quis jam, Diabolo ad malitiam actualiter delapso, Angelos esse malos, & sic consequenter peccatum primario fuisse, vel esse in DEO; vindicabit? Uti hoc dictamen absque Blasphemiâ, sic illud in Naturâ absque inscitiâ statui nequit.

Anonymus *subjungit experimentum, quod nautas à fluctibus maris observasse autumat: quasi ex maris fluctibus navi allidentibus, & noctu instar prunarum apparentibus, Ignem in aquâ esse judicent.* Replico: vel ipsum Nautas, vel Nautas

causam

causam Muriæ splendoris non rectè observasse. Splendores igneos maris, seu mare scintillans, non ex ordinariis fluctibus, sed ex aquæ violenta in navim allisione, & navis ad aquam fricatione, (quibus Sal marinum nimium movetur, & fervescens quasi in furorem agitur) apparere, navigantibus expertum est; quum calor & splendor in sale aquæ remissa violentia absit, nec alias unquam in actum progrediatur. Est itaque Ignis in Sale maris tantum potentialis, placidâ aquâ nunquam actualis futurus.

§. 8. Anonymus *accusat Doct. Helbigium, quod neget Sulphur, Principium Philosophicum, esse Elementum, Materiam quandam primam, Ignem &c. attamen id Salem Naturæ expresse profiteatur: quum verò Sal nihil aliud sit quam aqua per artem in formam ignis alterata, Ergo Sulphur vult Elementum esse.*

Risum teneatis amici! Iners ipsius consequentia ruborem injicit. *Sulphur*, dicit

dicit, *eſt Sal naturæ alteratum : Sal naturæ eſt aqua per artem in formam ignis alterata : Ergo quia Sulphur eſt ex Sale, Sal ex Igne, & ignis ex aqua : Ergo, Sulphur certiſſime eſt Elementum.* Ergo, baculus ſtat in angulo! Ergo! Differunt enim penitus, ex Elemento & Elementum eſſe: vel ſi mavis, materia non alterata & alterata. Quia alteratio aliam dat qualitatem, à quâ ad priorem non erit argumentum. Ex. gr. Diabolus eſt Angelus bonus alteratus, Ergò, Diabolus eſt angelus bonus. Morbus eſt Sanitas alterata, Ergò, morbus eſt Sanitas. Inſulſis eſt ita argumentari. Nam quando dulcis & conſtituens aqua alteratur in cauſticum & deſtruentem ignem, omnino fit mortifica, & prorſus degenerata: in ſtatu quo non poteſt eſſe, nec dici Elementum.

§. 9. Tritum illud philoſophicum : *Lapis noſter non tingit niſi tingatur* : anonymi ſententiam non confirmat. Nihil enim aliud ſignificat, quam Lapidem debitè præparatum non tingere metalla, niſi auro, quod Sulphur metallorum puriſſimum

mum nominant, priùs tingatur, id est, cum illo fermentetur.

§. 10. Addit anonymus; *distinguendum quidem esse inter Elementum & Elementatum; inter Ignem universalem & particularem: neutrum tamen esse saltem motum supernaturalem; sed motu aut naturali, aut supernaturali, in actum & effectum deduci, ut visui appareant, inflamment &c.*

Quod reverà nihil dictum est. Quia enim ipse autor nunquam probavit Ignem esse Elementum, nunquam etiam potest distinguere inter universalem & particularem, seu Elementum & Elementatum illius. Insuper Dr. Helbigius Ignem, dum ardet seu flammat, tantum ut ignem & motum præternaturalem, sed Essentiam ejus ardentem & flammantem, ut materiam præternaturaliter ita in actum & effectum deductam, ut caustica sensibus appareat, considerat. Deinde Dr. Helbigius vocabulo Motus supernaturalis nunquam fuit usus; cum supernaturalis à præternaturali & inordinato sicuti superius animadverti, longè differat.

§. 11. Pergit anonymus; *Cur unum tantum*

num detur Elementum? ipsâ Sapientiâ Salomonis, aliisque Sacris literis pluralitatem Elementorum statuentibus & approbantibus.

Sed modulus est illorum, qui per κρησφύγετα sese extricare contendunt. Quod ipsis doctâ probare ratione impossibile occurrit, vel ad occultas Qualitates, vel ad Authoritatem cujusdam gravis Autoris reponunt. Sic anonymus refugium & asylum ad sacras literas & sapientiæ librum Salomonis, licet in Ecclesia Christi ἀπόκρυφον, suam ex illis Elementorum pluralitatem obtinendi, unitatem verò confundendi, quærit: quod, meo judicio, docti non est viri, seu Philosophi. Præsertim, quum sacræ literæ non naturam corporis physicam, verùm animæ salutem credentibus expandant: Proinde à nullo verè literato sacra Scriptura pro infallibili Physices, sed Fidei fundamento argumentoque traditur. Plerumque enim in Naturalibus pro opinione vulgari sacra loquitur pagina. Nedum autem anonymo hâc excusatione Victoriæ offeratur palma (cum Sacras literas sibi à parte sententiæ stare glorietur) ipsa S. Scriptura sententiam

Helbi-

Helbigianam de unitate Elementorum non oppugnat, sed præsupponit. Divus Petrus 2. Ep. 3. v. 10. dicit στοιχεῖα καυσούμενα λυθήσονται: *Elementa æstuantia solventur*. Quibus non Elementorum numerum, sed Elementorum naturam, ex eventu resolutionis, designat, dictaque Elementa ipsi Cælo, tanquam ab illis separato, postponit in resolutione finali; quum Cœlum ipsum (Æthereum videlicet) non sit Elementum, sed Elementatum separatione Elementi factum: quo statuit resolutionem potentiarum superiorum & inferiorum, quam præternaturali & inordinato, vehementique motu ad æstuationem Igneam, & incensionem totius universi usque, extremo Dei Judicio necessum habebunt subire. Jam resolutio illa arguit, Apostolum non de Elementis, verum de Elementatis loqui; quoniam resolutio æstuans Elementis non, sed Elementatis competit. Nam quod æstuanter resolvitur, transit in alteratam formam, priore deteriorem, ut destruentem, per motum præternaturalem & inordinatum, qui non est Elementi, sed Elementati a-

ctus,

ctius vehemens. Interim ipsum vocabulum ϛοιχεῖα, id eſt, Elementa, rationi etymi & uſus in ipſa S. Scriptura ut plurimum impropriæ & metaphoricæ eſſe ſignificationis, nemo Theologorum negabit: proinde minus pluralitatem probat, quam unitatem repudiat, cum nullibi in Sacris pro vero Principio Creationis Univerſi uſurpetur; ſed omni in loco de Potentiis à primo Principio vel Elemento ortis. Quod igitur Sacræ literæ neque approbant, neque arguunt, anonymo pro glorioſo ſuæ Elementorum pluralitatis fundamento conducere nequit. Dixi itidem S. Scripturam Unitatem Elementorum præſupponere. De eo idem audiatur Apoſtolus Petrus 2. Ep. 3. verſ. 5. γῆ ἐξ ὕδατος καὶ δι' ὕδατος συνεϛῶσα. *Terra ex aqua & per aquam conſtitit Dei verbo.* Quibus nihil aliud Apoſtolus innuit: niſi aquam eſſe Materiam primam, ſeu elementarem, adeoque unicam, (quam Dn. Helbigius vocat Viſcoſam) ex qua, & per quam terra, cæteraque elementata Dei verbo conſtiterint. Et licet Viri graves Theologi Principia Naturæ non diſtinguentes, aquam

hanc

ianc primævam cum diluvii aqua, quam Petrus subjungit, mixto sensu confundant, attamen materia ex qua & per quam Terra ab olim constitit, Helbigii Sententiam Unitatis Elementi satis luculenter præsupponit, quum Una & Unica tantum fuerit Aqua, seu Elementum, constiterit. quæ vero in Diluvio in quantitatem aqueam suarum particularum excrescendo carni in Terra viventi perniciem impertiit aqua, non est, nec fuit illa aqua prima (Philosophis viscosa dicta) ex quâ & per quam Terra ab olim constitit: nam in Diluvii aquâ terra non constitit, sed periit.

§. 12. Ejusdem farinæ est, quæ anonymus subnectit, dicendo. *Quamobrem Reipublicæ Hermeticæ magis expedire censui, Terminos & quandoque Metaphora Philosophorum retinendo, ea simul explicare, quam excogitare nova & magis obscura.* Quam verò Philosophorum Termini, ipsorumque denominationes Metaphoricæ rerum Hermeticarum studiosos non tantum, sed ipsos Hermeticæ scientiæ Doctores seducant, errantesque erroribus implicent, adeo ut sese extricare nul-

lius eorum queat, in propatulo est. Si igitur Dn. Helbigius, veritatis, proximique amore ductus, errantium agmen novis & quidem Terminis propriæ significationis, reique naturalis designationis ad veram veritatis cognitionem perducere conetur, ne scilicet tot tantaque temporis & expensarum proluvia, ad multorum vitæ ac animæ perniciem, in palæstram descendere Chymicæ artis cupidos provocent, Ipsi magis gloriæ quàm infamiæ erit. Quapropter Dn. Helbigius Reipublicæ Hermeticæ magis expedire censetur, quam anonymus; dum melius sit Terminos excogitare novos & proprios, quàm in explicatione dubiâ troporum Philosophorū infeliciter hærere.

§. 13. Anonymus non omnem de Nuysement approbat, non omnem etiam reprobat opinionem. Ipsi eruditæ sunt ejus scripta & ingeniosa certis in partibus, quibus cum suo forsan præjudicio consentire videtur. Si verò Lotharingi Principia putatitia æque, ac Dris Helbigii, contradicerent, nullam Nuysementi haberet rationem. Bernardi Comitis

itis Trevisani non est suspecta Veritas. iacus Hollandus in amplissimis scriptis suparum multa, quæ Philosophicam olet veritatem, reddidit, excepto solummodo de Lapide Urinæ Tractatulo; in io Materiam tectè vocat Urinam, veatemque sapienti luculenter demonstrat. um autem anonymus per operationes etallorum & Mineralium in libris allectis conscriptas, se in regiâ progredi à verè senserit, fides penes illum esto. lultitudo enim laborum in Mineralibus nilosopho Hermetico nullam affert utiatem aliam, quàm ut extremè videat, semper errasse.

§. 14 *Vocabulum TESSA*, *licet aracum* esse videatur, in illaque lingua *Spoli t*, aut *privavit*, significare posset; mihi taien *Cabalisticum* censetur, cujus singulæ eræ singularem continere sensum scio.

Magnes Helbigii est Sal Centrale, quod unquam in terra fuit, & tamen super rram apprehenditur. Cujus sapor est itriolicus; externus color albus, interus, ut auri, rubeus; vocaturque à ilosophis Magnes, Sulphur, Mas, Sal

centrale, Draco, Leo, Vitriolum Microcosmi, Fixum &c.

Tessa est Sal Astrale, seu aëris essentia. Cujus Sapor est aliquo modo Mercurialis tamen dulcis; color, ut argenti, albus substantia pellucida & cristallina, & vocatur à Philosophis Mercurius, Chalybs Fœmina, Sal Astrale, Aquila, Columba, Arsenicum album, Alumen plumosum Antimonium Philosophicum, Gluten Aquilæ, Luna, Volatile, Fumus albus, &c.

Attrahitur & coagulatur à Magnet per motum placidum. Modum autem attrahendi & coagulandi literæ vocabul significant.

Alias *Magnes & Chalybs, Sal Centrale & Astrale, Leo & Aquila, Superius & Inferius, Philosophis una eademque sunt materia:* quam Dn. Helbigius TESSAM & bis, certas ob rationes, VIM ALIENAM TESSÆ nominat.

§ 15. Anonymo tandem displicet, quod Dn. Helbigius justa invectus fuerit ira in quorundam mendacia autorum: dicitque *Philosophum non decere errantem afficer injuriâ, sed potius eidem succurrere. Accusat* qu

te, Virorum graviorum scripta mendacia incupasse obscœna.

Ad quod etiam pro Dn. Helbigio respondere urgeor; Doct. Helbigium vocabulum *Mentiri* de Nietnero, Nuysement, Balduino non fuisse usum: tantummodo verum ipsorum scripta, quatenus universalem mundi indigitant Spiritum, erronea esse, dixisse; illumque dodisse, Balduinum, ut & Turbam Semimidis, tam audaciter suis scriptis purissimam de Lapide Philosophorum inesse veritatem asseverasse: quod tamen veritati quarto modo non est consonum. Hinc multi ab illis decepti, sumptuosissimas impendere expensas, at nil desiderato minus ex eis invenere. Si igitur *illi Decepto*s scripsissent; PUTO Spiritum vel Salem hunc aëreum esse Lapidis Materiam, admonitio anonymi locum haberet: Verum illi per Suum EST, falsitatem pro Veritate venditaverunt. Propterea ut mendaces & deceptores esse tractandos, nullus arguet. Nec Balduini modus attrahendi est arcanum, sicuti autor judicat. Norunt enim rustici, murorum antiquo-

rum

rum Calcem, ſeu alcali in Calce, attrahere dulcem ex aëre & Nitroſum Salem. Quidni igitur verum decebit Philoſophum, proximum admonere, ut ſibi caveat à libris mendacii fœtore, quatenus Hermeticam olere volunt Sapientiam, refertis? Nonne item illi ipſi graviores Viri, quorum authoritatem anonymus vindicat, gravioribus eſſent digni pœnis, quod aliorum Falſa, ut Balduini, Tumbæ Semiramidis, autoris poſitionum de ſpiritu mundi, &c. toti mundo laude maxima offerentes, cauſa fuerint, multos, infallibil ſapientia, gravitate & autoritate Collegi curioſi fretos, ſuam cum tempore inutilite conſumpſiſſe pecuniam?

Hiſce Rationis & Experientiæ cribro ventilatis, Epiſtolæ finem imponere juſſus, me, meoſque, imprimis parvulum R. J. Tuæ Generoſitati de meliore nota ad diem vitæ recommendatos volo.

Tuæ Generoſ.

Dabo ex Muſæo meo
Heidelbergæ 25. Iulii
1680.

Humillimus Servus
& Compater
MATTHIAS [illegible]





